DE CICERONIS AD BRUTUM EPISTOLARUM LIBRO QUI SECUNDUS INSCRIBITUR.

VENIA

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS ACADEMIAE ALEXANDREAE

P. P.

ADOLPHUS V. STRENG,
MAG. PHILOS.

IN AUD. HIST. PHIL. DIE XXVIII M. MAI.
A. MDCCCLXXXV.
H. A. M. XI.

HELSINGFORSIAE.
EX OFFICINA FRENCKELLIANA.
1885.

Salisbury fund

Quisquis ad epistolas Ciceronis interpretandas nonnihil operae contulit, permulta in iis inesse, quae vel subtilius disserenda vel accuratius emendanda vel ad temporum rationes diligentius exigenda sint, denique satis clara artis criticae luce adhuc careant, non ignorat. Non quo ab hominibus doctis praetermissae neglectaeve sint, sed cum res ipsae quae iis narrantur, ut quae in consiliis rationibusque interioribus et parum cognitis magna ex parte versentur, saepe sunt ad explicandum difficiliores, tum oratio qua in iis utitur Cicero ad cotidianum ac plebeium sermonem propius accedens (cfr fam. IX 21, 1) ab eo quod in ceteris libris usurpat genere dicendi tantopere abhorret, ut periculum sit, ne is qui illam ad hoc referre vel ex hoc illam recognoscere velit — quae ratio prioribus praesertim temporibus apud homines doctos nimis plerumque videtur valuisse — in multos magnosque incidat errores. Accedit quod libri manu scripti quibus epistolae Ciceronis continentur tam vitiosi sunt, ut Fr. Hofmannus in optimo eorum [1]) tam vehementer corrupta esse existimet scriptoris verba, ut merito dicas ne unam quidem epistolam longiorem vel omni qua utimur arte emendari posse, si secundae manus correctiones nobis deessent [2]): quare illa quam modo significavimus corrigendi interpretandique ratio etiam latius patere potuit. Atque hac omnium epistolarum communi condicione et fortuna paulo duriore, necdum satis explicata, magna ex parte factum videtur, ut nonnullae

[1]) In cod. Mediceo plut. XLIX num. XVIII, qui epp. ad Brutum I ad Quintum fratrem ad Octavianum ad Atticum continens usque ad hos quinque vel sex annos Petrarcae manu scriptus esse putabatur.

[2]) Der Kritische Apparat zu Ciceros Briefen an Atticus. Berlin 1863. p. 11.

sint ex earum numero, quarum tota causa vel nostra aetate non solum maxime dubia sed omnino desperata videatur. Quod in epistolas a Cicerone ad Brutum et ab hoc ad Ciceronem datas, quae quidem ad nos pervenerint, cadere constat. Nam quae epistolae, postquam abhinc centum quadraginta annos primum tamquam spuriae et ficticiae a Cicerone abiudicatae falsarioque cuidam inepto vel declamatori parum docto addictae erant, cum posteriore tempore homines docti exstiterint atque illi quidem omnium praestantissimi, qui patrocinium earum susciperent, iterum iterumque iisdem illis damnationis conatibus succubuerunt, de iis vix iam licere videtur bene sperare.

Quae vero sententiae quoque tempore de his epistolis in utramque partem prolatae sint, etsi, ne acta agere videamur, pluribus enarrare non opus est, breviter tamen ut exponamus, res ipsa postulat quam nobis proposuimus. Atque auctor huius quaestionis Iacobus Tunstallus exstitit, qui cum epistola critica ad C. Middletonium anno MDCCXLI data [1]), variis erroribus in vita M. Tullii Ciceronis ab hoc edita exprobratis, „de illarum quoque, quae Ciceronis ad M. Brutum Brutique ad Ciceronem vulgo feruntur, epistolarum αὐθεντίᾳ nonnulla dissereret,“ fidem et auctoritatem earum prioribus saeculis nulla suspicione imminutam primus in dubium vocavit. Cui cum Middletonius dissertatione novae earundem epistolarum editioni praemissa biennio post respondisset iniuriamque iis illatam defendere studuisset, Tunstallus iterum eum aggressus commentationem de hoc epistoarum libro edidit [2]), qua manifesta fraudis vestigia in iis deprehendisse sibi videbatur: cuius auctoritate confirmatus Ieremias Marklandus confidentius iam et acerbius in has epistolas invectus est [3]). Atque ita quidem vituperandi ratio ab

[1]) Epistola ad virum eruditum Conyers Middleton, vitae M. T. Ciceronis scriptorem cet. Cantabrigiae 1741.

[2]) Observations on the present collection of epistles between Cicero and M. Brutus. London 1744.

[3]) Remarks on the epistles of Cicero to Brutus and of Brutus to Cicero: In a letter to a friend etc. London 1745.

utroque inita est, ut Tunstallus historicis maxime argumentis usus et tempora epistolarum et res causasque quae in iis commemorantur recensuerit, quae autem in dicendi genere vituperanda ei visa sint, leviter magis attigerit quam explicaverit, Marklandus totus fere in latinitate orationis et in rationibus sententiarum examinandis versatus sit.

Post haec iudicia per totum saeculum et plenum nemo fere vir doctus has epistolas attigit, quin in sententia criticorum Anglorum acquiesceret, quorum ex numero sunt Ruhnkenius, Wyttenbachius, F. A. Wolfius, Schuetzius [1]), Handius [2]), Niebuhrius [3]), Drumannus [4]), Orellius [5]). Nostri tandem saeculi anno quadragesimo quarto inventus est damnationis illius diutinae vindex atque ille quidem eorum, qui in huiusmodi controversia sententiam ferre possent, facile princeps. Nam Carolus Fridericus Hermannus, cum academiae Regiomontanae eodem anno tria saecula peracta gratularetur, has epistolas ab illa centum annorum iniuria ignominiaque defendere studens disputationem instituit doctissimam [6]), qua latinitatis cum a Tunstallo tum a Marklando vituperatae patrocinio suscepto, quae ab illis de sermonis usu Tulliani minus prudenter essent iudicata, refutavit, quae autem „exemplis prorsus congruis atque genuinis apud Ciceronem“ carere viderentur, „tamen ab aliorum locorum similitudine ipsisque sermonis legibus facilem excusationem invenire“ ostendit; ceteras denique criminationes aut subtiliore interpretatione aut facillima emendatione repelli demonstravit. Idem proximis annis ad propositam defensionem reversus dissertationibus, quas in consessibus societatis scientia-

---

[1]) Ciceronis opera. Tom. VIII, pars III, proll. pp. XXXVIII—LXIV.

[2]) Tursellinus II, p. 410.

[3]) Vorlesungen über röm. Gesch. ed. Schmitz P. V, p. 127 sq.

[4]) Geschichte Roms, vol. I, p. 57, 238, 263, 312, 321, 323, 331. 526; vol. II, p. 105; vol. III, p. 723; vol. IV, p. 9, 40; vol. V, p. 199.

[5]) Ciceronis opera, ed. altera, vol. III p. 755 et 775. Cfr Baehrii «Gesch. d. röm. Litt.» ed. II, p. 590.

[6]) Vindiciae Latinitatis epistolarum Ciceronis ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem. Gottingae, 1844.

rum Gottingensis duas legit [1]), non solum locos quibus hae epistolae ab antiquae aetatis scriptoribus commemorantur librorumque scriptorum memoriam quae de iis exstat excussit, sed etiam omnia, quae de rebus quae his epistolis narrantur in primis Tunstallus criminatus erat, examinavit atque, qua erat exquisita doctrina singularique mentis acumine, ita refellit, ut pleraeque Tunstalli criminationes in omne tempus depulsae confutataeque esse viderentur. Quod latinitatis vindiciis haudquaquam effecit. Namque vix prolatis iis Augustus Wilhelmus Zumptius [2]) causam Anglorum recepit et, cum multa, quae ab Hermanno contra illos recte existimaret defensa, silentio comprobaret, haud pauca tamen a Marklando iure reprehensa esse contendit atque unam ex harum epistolarum numero eamque omnium longissimam (I 15) ultro aggressus pleraque in ea et Cicerone indigna et tempori quo scripta esset parum apta esse demonstrare studuit. Cum vero Hermannus non adeo facile a suscepto patrocinio deterreretur [3]) atque Zumptius quoque sententia sua staret [4]), contentio iis orta est multo etiam vehementior quam ea quae centum annis ante inter Anglos exarsit, ac ne Hermanno quidem contigit, ut has epistolas omnibus hominum doctorum dubitationibus liberaret.

Immo eorum, qui postea harum epistolarum causam attigerunt, maior pars in Anglorum Zumptiique sententia perstitit, velut Nakius [5]), Bardtius [6]), Bernhardius [7]), I. Muelle-

---

[1]) Zur Rechtfertigung der Aechtheit des erhaltenen Briefwechsels zwischen Cicero und M. Brutus. Von D:r Karl Friedrich Hermann. Erste Abtheilung vorgelesen am 16 Nov. 1844 — Zweite Abtheilung vorgelesen am 31 Maj 1845. Utraque pars separ. ed. Gottingae 1845.

[2]) De M. Tullii Ciceronis ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem epistolis, quae vulgo feruntur. Berol. 1845.

[3]) Vindiciarum Brutinarum epimetrum. Gottingae 1845.

[4]) Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik. Berlin 1845. Band. II, pp. 721—751.

[5]) Historia critica M. Tulli Ciceronis epistularum. Bonnae 1861.

[6]) Quaestiones Tullianae. Berol. 1866.

[7]) Grundriss der Römischen Litteratur. 5:te Bearbeitung. Braunschweig, 1872.

rus[1]) et qui Ciceronis epistolas recentissime ediderunt Baiterus [redacted], Klotzius, Wesenbergius, [redacted], qui eas subditivas omnes nominant, alii praeterea. F. Becherus[2]) demum, dum quae de argumentis historicis ab Hermanno disputata sunt numquam labefactari posse arbitratur, in dicendig enere haud pauca sibi repperisse videtur fraudis vestigia. — Rursus Carolus Nipperdeius medium quiddam tenens dicit[3]) epistolas ad Brutum sibi videri verae originis notas vestigiaque ferre, si exceperis duas illas, quas ipsi adversarii maxime laudent, I 16 et I 17, e. q. s. Qui cum, ne de hac re fusius disputaret, immatura morte impeditus esset, eius sententiam secuti R. Heinius[4]), qui se eam probare conari diserte dicit, cum de nonnullis ceterarum epistolarum locis disserit tum duas illas epistolas a Bruto abiudicandas esse demonstrare conatur; O. E. Schmidtius[5]), cum de temporis rationibus epistolarum Ciceronis et Cassii ageret, multa de harum quoque epistolarum ordine et temporibus et acute vidit et prudenter constituit; L. Gurlittius[6]) de ea ratione, qua singula volumina epistolarum Ciceronis antiquitus composita editaque essent, disputatione instituta in his quoque epistolis eandem agnovit edentis rationem, neque eas quattuor extremis primi libri epistolis exceptis genuinas iudicare dubitavit. Etiam Langius[7]) et Teuffelius[8]) eas pro veris habuerunt, nec F. Buechelerus[9]) ac ne Th. Mommsenus[10])

---

[1]) Bursians Jahresber. X, p. 268. 1877.

[2]) De Ciceronis, quae feruntur ad Brutum epistulis. Harburg 1876.

[3]) Leges annales p. 71. (Abhandl. der sächs. Ges. der Wiss). 1865.

[4]) Quaestionum de M. Tullii Ciceronis et M. Bruti mutuis epistulis capita duo. Diss. Lips. 1875.

[5]) De epistulis et a Cassio et ad Cassium post Caesarem occisum datis quaestiones chronologicae. Lipsiae 1877.

[6]) De M. Tulli Ciceronis epistulis earumque pristina collectione. Diss. Gotting. 1879.

[7]) Römische Alterthümer III. Berol. 1876.

[8]) Geschichte d. Röm. Literatur. 4 Aufl. Leipzig 1881, p. 328 sq.

[9]) Rhein. Mus. 29 Jhrg. p. 195.

[10]) Hermes XV (1880) p. 102 adn.

quidem ab eadem sententia aversi esse videntur. Alii, velut Fr. Hofmannus [1]), E. Boeckelius [2]) nihil certi iudicare ipsi ausi sunt. Denique C. G. Cobetus in Mnemosyna [3]) non solum plurimis et gravissimis Hermanni argumentis interpretationibusque repetitis auctis confirmatis haud pauca ipse adiecit, quae maxime ad emendandos singulos locos pertinerent, sed etiam adnotationibus historicis et criticis, quas in iisdem annalibus ad Plutarchi vitam M. Bruti [4]) et ad orationes Philippicas [5]) scripsit, omnia quae in iis insunt, quae ad has de quibus agimus epistolas pertinerent, cum ipsis epistolis optime convenire demonstravit: denique totum se ab Hermanni iudicio sententiaque stare profitetur.

Qui vero proxime totam hanc de fide et auctoritate epistolarum Ciceronis et Bruti quaestionem complexus est, Paulus Meyerus [6]) omni ex parte fusius et plenius quam priores tractavit. Atque ille quidem dissertatione satis ampla, postquam primum de librorum manu scriptorum fide egit (cap. I), qua ex parte negat quicquam de auctoritate epistolarum diiudicari posse, tum vero quaestione, quam de temporibus epistolarum singularum rerumque gestarum memoria iisdem tradita instituit, pertractata (cap. II), innumerabilibus fere, uti ipsi videtur, fraudis indiciis patefactis totum hoc epistolarum corpus spurium esse sibi persuasit, denique in oratione quoque et in sententiarum nexu ac tenore permulta, quae ab usu Tulliano nimis abhorrerent, inesse existimavit (cap. III): iam unde singula quae quoque loco exstant desumpta et a falsario in has epistolas translata essent, sibi quaerendum proposuit (cap. IV), atque ex iis

---

[1]) Ausgewählte Briefe. I, 4 Aufl. Einl. p. 2—4.

[2]) Ciceronis epp. selectae von Süpfle. 8 Aufl. von Boeckel. Karlsruhe, 1880. p. 38 adn.

[3]) Mnemosyne. Nova series. Vol. VII (1879) pp. 262—297.

[4]) Mnemosyne, l. c. p. 1 sqq. et 225 sqq.

[5]) Mnemosyne, l. c. p. 113 sqq.

[6]) Untersuchung über die Frage der Echtheit des Briefwechsels Cicero ad Brutum sowol vom historischen als vom sprachlichen Gesichtspunkt aus. Diss. Turic. Stuttgart, 1881.

quae antea disputarat, quo tempore quaque ratione hi epistolarum libri compositi essent, colligere conatus est (cap. V).

Quae cum ita sint, quantae aleae opus suscipere videatur si quis, tiro praesertim, post tot tantorumque nominum iudicia etiamnunc aliquid, quod ad difficillimam hanc quaestionem diiudicandam pertineat, se allaturum esse speret, haud me fugit. Quod audaciae crimen nescio an ea tamen re magna ex parte imminuatur ac propulsetur, quod omnes — vix Meyero excepto — qui adhuc has epistolas impugnarunt id egerunt, ut certos tantummodo locos, uniuscuiusque consiliis rationibusque maxime idoneos, eligerent atque tractarent, qui contra defenderunt eosdem illos locos tueri satis habuerunt [1]; nemo autem est eorum, qui perpetua explicatione omnes epistolas totasque ita illustraverit, ut et quaecunque iis narrentur, omnia cum inter se tum cum iis, quae aliunde de iisdem rebus cognita habeamus, comparaverit et singula dicendi genera ad ea potissimum, quae in ceteris epistolis inveniantur, rettulerit. Itaque ad causam harum epistolarum explicandam aliquid profici posse arbitrabar, si quantum quidem in me esset, commentarium quendam continuum earum componere conarer, quo non solum omnes quaestiones complecterer quae et ad tempora et ad res et ad verba pertinerent, sed etiam, singulae quemadmodum inter se conexae et aptae essent sententiae, exponerem similibusque exemplis aliunde allatis illustrarem et confirmarem. In latinitate autem examinanda cum parum visa esset adhuc dicendi generis epistolarum proprii ratio esse habita, exceptis orationibus Philippicis, quippe quae et eodem tempore habitae permulta

---

[1]) Quod ad auctoritatem totius voluminis restituendam non sufficere iam paulo post quam Hermanni dissertationes prodierant Lieberkuehnius (Jenaer allgem. Literaturzeitung, 1846, p. 1186) monuit, qui haec addit: »Der positive Beweis ist aus einer genauen sprachlichen Vergleichung mit den anerkannten Schriften des Cicero zu führen, und es ist darzuthun, wie in unsern Briefen derselbe Satzbau, dieselbe Gedankenverknüpfung, derselbe Wortgebrauch, mit einem Worte dieselbe Sprachweise sich findet, wie in jenen.« — Cfr. Hofman Ausg. Bfr. I, 4 Aufl., Einl. p. 4.

exhiberent cum his epistolis communia et ipso sermonis usu ad hunc epistolarem propius accederent, nulla fere alia exempla similia quaerenda esse existimabam, nisi quae ex ceteris epistolarum libris se offerrent. Etsi summam quaestionis, utrum a Cicerone scriptae sint hae epistolae necne nisi ab hominibus cum omnis antiquitatis peritissimis tum in epistolis Ciceronis maxime versatis solvi posse non arbitror, fieri tamen non potuit, quin ego quoque meam de ea re sententiam proferrem. Neque equidem confiteri dubito sententiam illam maxime mihi arridere, quam a Nipperdeio primum prolatam deinceps Heinius O. E. Schmidtius Gurlittius receperunt receptamque accuratius explicarunt.

In iis autem quae mihi proposui persequendis cum P. Meyero maxime mihi rem esse non mirandum erit, quoniam is, qui proxime hanc quaestionem tractavit, omissis quae a prioribus aut iniuste reprehensa aut recte defensa esse existimavit, cum cetera crimina ante prolata repetiit et additis ipsius animadversionibus confirmavit, tum ipse permulta attulit, quibus hos epistolarum libros fraudis convinceret. Quod vero idem vir doctus, quotiens aliquam aut sententiam aut locutionem vel in epistola quapiam vel in oratione invenit, quae propius ad similitudinem eius accederet, quaecunque in his epistolis exstaret, totiens fontem sibi deprehendisse visus est, ex quo falsarius ille nescio quis hausisset, plane cum C. Lehmanno [1]) facio, qui eum quarto capite, quo quaerat, qui fontes subditarum epistolarum fuisse videantur, propositum non assecutum esse iudicat, quod in ipsis epistolis Cicero verba saepissime repetat, qua re quam saepe emendatio adiuta sit inter omnes constet. Tanto cautius agendum esse neque quemlibet epistolarum Brutinarum locum propter sententiae sive orationis similitudinem continuo ex aliis Ciceronis scriptis desumptum putari oportere. — Neque enim ubicunque unus omnino reperitur similis locus, falsarium illum verisimile est hunc potissimum dedita opera quaesivisse

[1]) Zeitschr. f. d. Gymnasial-Wesen. XXXVIII Jahrg. Febr.— März. Berl. 1884. »Ciceros Briefe von K. Lehmann.« p. 41.

atque in suum usum transtulisse; neque ubi plures vel plurimi loci exstant eiusdem generis, in his potissimum epistolis eandem vel sententiam vel locutionem per fraudem Ciceroni suppositam esse recte statuitur. Quod si ita esset, omnino non fieri posse, ut ex latinitate harum epistolarum quicquam de fide earum colligatur, quis non videt? Quam ob rem, quibus exemplis afferendis Meyerus id quod sibi proposuisset se consecutum esse arbitratus est, iisdem quominus ad meam rationem probandam utar, nihil impediri videor. Ceterum ipsa latinitate examinata vix quicquam certi ad quaestionem de qua agitur diiudicandam afferri posse contendentibus [1]) concedo hoc caput rei non esse.

Initio cum mihi proposuissem, ut omnes Ciceronis et Bruti epistolas mutuas ea quam significavi ratione pertractarem, parum otii ad propositum persequendum nactus et ne fines iustos huiusmodi dissertationis transirem, in iis epistolis, quae nunc vulgo secundo libro continentur, explicandis mihi consistendum fuit. Huius libri epistolae condicione eo fuerunt duriore, quod nulli earum exstant libri manu scripti, neque a quoquam antiquitatis auctore commemorantur et, antequam a Cratandro anno 1528 ederentur [2]), prorsus ignotae fuisse videntur. Propterea ab editoribus priorum temporum „epistolae a Germanis olim repertae et editae“ appellatae post Schuetzium demum „liber secundus“ inscribuntur et a plerisque harum epistolarum obtrectatoribus etiam magis quam epistolae „primi libri“ despectae et contemptae, Hofmanno quoque auctore [3]) ab his accurate seiungendae sunt.

Qui autem proximis temporibus de horum librorum scriptorum memoria egerunt G. Voigtius [4]) Meyerus [5]) Lehman-

---

[1]) Cfr Meyer. l. c. p. 107; Lehmann. l. c. p. 41 supr.

[2]) In margine haec adnotavit: «Hanc et sequentes quinque epistolas ad Brutum, quod a Ciceroniana dictione abhorrere non videbantur et in vetusto codice primum locum obtinerent, nos haudquaquam praetermittendas existimavimus.«

[3]) l. c. p. 3 sq.

[4]) Ueber die handschriftliche Ueberlieferung von Ciceros Briefen. Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. (phil. hist. Klasse) 1879. pp. 42, 44, 63.

[5]) l. c. p. 6 sqq.

nus [1]) omnes Hermanno [2]) hoc concesserunt, quod nulli harum epistolarum libri manu scripti iam exstent, ea re fidem earum non modo non frangi sed ne imminui quidem. Atque hoc quidem eo vel maxime confirmatur, quod tot tamque necessariae inter hos libros intercedunt rationes, ut, qui utrumque paulo accuratius examinaverit, utriusque epistolas ab iisdem prorsus auctoribus scriptas esse ei persuadeatur necesse sit. Quod et Hermannus Meyerusque iam probaverunt et infra multis locis apparebit.

Quae cum ita sint, quid obstat quominus hic epistolarum liber — si omnino liber est appellandus, qui quinque tantum epistolas capiat — tandem in suum locum pristinumque statum restituatur finisque aliquando fiat quasi exilii illius, quo nimis diu iam omnium contemptui minime merito obnoxius fuerit? Sive „liber primus“ ipse inscribitur, sive quinque eius epistolae in ceterarum societatem recipiuntur atque cum his ita coniunguntur, ut uno omnes libro et eo sane non nimis amplo contineantur, prior tamem inter epistolas Ciceronis et Bruti locus quare iis iam non assignetur, quippe quae omnes epistolas „primi libri“ tempore antecedant, plane non video. Neque enim quinque illas epistolas per se suum et peculiarem librum antiquitus explevisse credibile est, et Ciceronem et Brutum ante has libri II epistolas datas nullas eodem anno inter se litteras communicasse me probaturum esse spero, inter extremam autem libri II et primam libri I epistolam (I 3; nam ep. I 1 omitto, cum de eius tempore nihil certi statui possit) non amplius quattuor dierum temporis intervallum intercedere ex ipsis apparet.

---

[1]) l. c. p. 39.
[2]) Zur Rechtf. I p. 11 sq., 15 sqq.

Antequam ad singulas epistolas explicandas aggrediamur, pauca de iis quas et Cicero et Brutus proximo tempore ante has epistolas mutuas dederint, quae quidem nobis conservatae sint, disputare a re proposita non abhorrebit. Atque ut remotiora omittamus, quid in hac re de primis eiusdem anni statuere liceat mensibus, videamus.

M. Brutus circ. Kal. Oct.[1]) cum classe ex Italia profectus primum Athenas se contulit, ubi et M. Cicero filius et alii adulescentes Romani ei se adiunxerunt. Tum Thessaliam pervectus cum veteranos Pompeianos qui post pugnam Pharsalicam in illis regionibus consederant sibi ascivisset, a Q. Hortensio Macedoniam tum obtinente tamquam successor legitimus receptus atque omnibus fere copiis quae illis locis erant auctus est, ut mense Decembri exeunte totam Graeciam Macedoniam Illyricum in sua iam tenuisse potestate videatur[2]). Quare C. Antonius cum sortitione provinciarum a. d. IV Kal. Dec. (28 m. Nov.) facta in Macedoniam contendisset[3]), maxima parte copiarum a Bruto privatus est et undique inclusus.

Iam de epistolis post hoc tempus a Cicerone et Bruto datis quaeritur. Ac Brutum quidem, cum sciret, quam infesto in se animo propter Idus illas Martias Caesaris amici essent, rebus etiamtum infectis nihil de se Romam referri voluisse eo probabilius est, quod, ne animi eorum offenderentur, quanta etiam postea caverit cura, scimus[4]). Immo tum demum Romam litteras misit, cum et sibi praesidium satis firmum paravisset et id praesidium propter bellum, quod interim in M. Antonium D. Brutus susceperat, ad communem salutem utile fore intellegeret. Quare cum per se verisimile sit mense Ianuario nullas Brutum epistolas Ciceroni misisse,

---

[1]) Cfr ep. ad fam. XII 3, quam inter VI Non. et VII Id. Oct. (2—9 m. Oct.) datam esse et Gruberus et Schmidtius statuerunt, et Phil. X 8.

[2]) Drumann. Gesch. Roms Th. IV p. 30 sqq.

[3]) Cfr Phil. III 20—26 et X 11 sqq.

[4]) Cfr huius libri epp. 3, 3 et 4, 5.

tum ut id nostro iure contendere videamur, certis iam testimoniis adducimur. Nam primum in iis Ciceronis epistolis, quae eo mense datae exstant, ad fam. XI 8 et XII 24, nulla omnino fit Bruti mentio. In quo si quis propterea non satis testimonii inesse existimaverit, quia non plures adsint, quale argumentum sit huius quae ad D. Brutum est data consideret. Eam aut exeunte mense Ianuario aut ineunte Februario datam esse ex iis, quae in ipsa epistola de exspectatione legatorum ad Antonium de pace missorum sunt scripta, et Nakius [1]) et Schmidtius [2]) recte statuerunt. Prima autem epistola Cicero haec scribit: „Eo tempore Polla tua misit, ut ad te, si quid vellem, darem litterarum, cum quid scriberem non habebam“. Atque etsi eadem epistola ea affert, quae ad Decimi Bruti animum confirmandum pertineant, de Marco plane nihil est dictum. Atqui si ante id tempus Cicero novisset M. Brutum Graecia Macedonia Illyrico potitum esse, magnum sibi exercitum et firmum inopinato paravisse, C. Antonium iam paene inclusum habere, quae omnia proximo anno exeunte erat consecutus: haec si cognita habuisset Cicero, num dubitabimus, quin iis commemoratis D. Brutum cum M. Antonio bellum gerentem fuerit excitaturus? At certe omnis nobis plane tolletur dubitatio, acceperitne Cicero hoc de quo agitur tempore a M. Bruto litteras, si epistolam quandam a Cicerone ad Cassium missam (fam. XII 4) inspexerimus. Hac epistola, quam ineunte mense Februario (a. d. IV Non. Febr. aut paulo post) scriptam esse Schmidtius (l. c. p. 23 sqq.) probavit, Cicero postquam de Cassio, quid ageret, atque ubi esset, praeterquam quod fama nuntiasset, se nescire scripsit, sic pergit: „de Bruto, quo propius est, eo firmiora videntur esse, quae nuntiantur“, et paulo post: „summa laus et tua et Bruti est, quod exercitum praeter spem existimamini comparasse. Scriberem plura, si rem causamque nossem,

---

[1]) Briefwechsel zwischen Cicero u. D. Brutus von Bruno Nake. Fleckeisens Jahrb. Suppl. B. VIII pp. 694—700.

[2]) De Epistulis et a Cassio et ad Cassium datis, p. 24, adn. 2.

nunc quae scribo, scribo ex opinione hominum atque fama". Ex his iam luce clarius est Ciceronem, cum haec ineunte mense Februario scriberet, quibus in regionibus versaretur Brutus novisse quidem, sed de rebus quas gessisset nihildum certi habuisse; nimirum quod Brutus nullas ei litteras dederat.

Quod ad sequens tempus pertinet, ad orationem Philippicam X et ad ep. ad fam. XII 5, quam eodem tempore quo illa habita est datam esse Schmidtius probavit (l. c. p. 26 sqq.), nobis confugiendum est. Quo autem tempore oratio illa X habita sit, inter homines doctos non satis convenit; nam Schmidtius (l. c. p. 27 sq.) circ. Id. Febr., Meyerus autem (l. c. p. 23 sq.) Drumannum secutus aut mense Februario exeunte aut Martio ineunte habitam esse statuit. Quae res etsi non nimis ad nostram quaestionem momenti afferre videtur, ad Meyeri tamen sententiam probandam me quidem propensiorem esse non infitior. Atque Ciceronem orationem Phil. X ex primis Bruti litteris publicis in senatu recitatis habuisse constat. Accepisse autem Ciceronem eodem tempore vel paulo ante privatas a Bruto litteras, etsi certis testimoniis comprobari non potest, tamen non verisimile est. Namque et ex primis orationis illius verbis hisce: „Maximas tibi, Pansa, gratias omnes et habere et agere debemus, qui cum hodierno die senatum te habiturum non arbitraremur, ut M. Bruti, praestantissimi civis, litteras accepisti, ne minimam quidem moram interposuisti, quin quam primum maximo gaudio et gratulatione frueremur", Ciceronem, antequam senatus convocaretur, ne causam quidem cur convocaretur novisse apparet, et quae de eodem Bruto non solum eadem oratione (§ 24) dicit: „a quo insperatum et repentinum rei publicae praesidium legionum equitatus, auxiliorum magnae et firmae copiae comparatae sunt"; sed etiam epistola illa (fam. XII 5) ad Cassium scribit: „Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus; res enim tantas gessit tamque inopinatas, ut eae cum per se gratae essent, tum ornatiores propter celeritatem", Ciceronem ante publicas illas litteras allatas de tantis

rebus a Bruto gestis ne sperasse quidem docent. Neque vero omnino in illa oratione quae de rebus Bruti gestis commemorat, eorum quicquam nisi ex publicis litteris hausisse videtur [1]). Idem in ea cadit, quae et in epistola illa ad Cassium et in oratione Philippica XI de Bruto affert, nisi quod hic nonnulla ex fama addit [2]); quibus locis cum illis orationis X comparatis Ciceronem ne Nonis Martiis [3]) quidem litteras a Bruto accepisse concludendum est. — Denique ne proximo tempore ante primam Bruti epistolam, quae nobis exstat (II 3), datam litteras ab hoc Ciceroni missas esse arbitremur, neque Brutus eadem illa epistola, quamvis litteras Ciceronis valde a se exspectari scribat, ullius epistolae a se ante datae, cui hic rescripserit, hunc commonefacit, immo solos nuntios (publicos) rerum suarum commemorat, et Cicero quinta epistola (§ 2) de litteris Bruti publicis cum primis tum alteris (d. 19 fere m. Martii Romam allatis) [4]) eum in modum huic rescribit, ut eum, quo tempore utrasque illas mitteret, nullas ad ipsum Ciceronem privatas scripsisse satis apparere videatur.

Atqui licet Cicero ante has quae exstant datas nullas a Bruto eodem anno epistolas acceperit: dare tamen ipse potuit. Verum ne dedisse quidem eum equidem contenderim. Nam in prima illa Bruti epistola (II 3) ipsa indicium inest, ex quo Ciceronem ante orationem Phil. X habitam nullas Bruto epistolas dedisse colligere possumus. Scribit enim Brutus in eadem epistola (§ 4): „Legi orationes duas tuas, quarum altera Kal. Ian. usus es, altera de litteris meis, quae habita est abs te contra Calenum. Nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem: nescio, animi an ingenii tui maior in his libellis laus contineatur; iam concedo, ut vel Philippici vocentur, quod tu quadam epistola iocans scripsisti“. Primum Brutus his utriusque orationis commemora-

---

[1]) Cfr Phil. X §§ 11, 13, 24—26.

[2]) Cfr Phil. XI § 26 sq.

[3]) Quo vel postero die or. Phil. XI habitam esse Schmidtius probavit l. c. p. 35 sqq.

[4]) Cfr infra ep. 5, 2.

tionem tam arte conectit, ut nisi de orationibus una eodemque tempore ad se missis cogitare non potuerit. Tum iis quae scribit: „nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem“, Ciceronem laudationem orationum illarum antea ostendit ne exspectasse quidem, quippe quas paulo ante ambas misisset. Iam vero quaeritur, quo factum sit, ut Cicero orationem illam quam Kal. Ian. habuerat (Phil. V) tunc demum post orationem X habitam et una cum hac, i. e. mense Martio demum ad Brutum mitteret? Neque enim has duas orationes aut primas videtur aut solas ad hunc misisse; immo et ex loco modo allato illum iam antea orationem quandam ex earum numero, quas Philippicas vocabat, ad hunc perferendam curasse colligendum est [1]), et qui iam exeunte mense Septembri primam orationem Philippicam eodem mense habitam ad Cassium miserit [2]), quin idem cum Bruto suo eandem communicaverit, quis dubitabit? Idem epistola huius libri quarta XI quoque orationem Philippicam ad Brutum perlatum iri pollicetur. Orationem Philippicam V igitur cur ad Brutum mittere tamdiu intermisit, cum tamen mittendam esse existimaret? Equidem nullam aliam causam invenio, nisi quod prioribus eius anni mensibus omnis omnino litterarum quoque communicatio inter Ciceronem et Brutum intermissa sit; primis autem huius litteris publicis Romam allatis et hic, ubi ille versaretur, certius iam scivit, et multa praeterea de quibus utriusque magnopere interesset consilia communicare accesserunt. Atque illas orationes Ciceronem nullis litteris additis misisse neque per se credibile est, neque Brutus prima illa epistola illius litteras tantopere exspectare potuisse videtur, nisi aliquas ab eo iam antea litteras accepisset. Itaque epistolam, quam Ciceronem una cum orationibus Philip-

---

[1]) Quam rem ad remotius quoddam tempus pertinere ipsum vocabulum, quo utitur Brutus, „quadam“ indicat.

[2]) Cfr ep. ad fam. XII 2, cuius prima verba haec sunt: „Vehementer laetor tibi probari sententiam et orationem meam, qua si saepius uti liceret, nihil esset negotii libertatem et rem publicam reciperare“.

picis V et X ad Brutum misisse verisimile est, primam fuisse eius anni nobis quidem persuasum est [1]).

Quae nobis proposueramus, ut primum disputaremus, ad finem perducta sunt; neque enim omittenda esse arbitrabamur, si quidem iis probatis permulta, quae in huius libri epistolis nobis traditis viros doctos offenderunt, iam recte se habere videbuntur.

---

[1]) Atque hanc ipsam eandem esse, quae huius libri prima etiamnunc exstat, infra demonstrare conabimur. — Quod Schmidtius, l. c. p. 31, adn. 3, Ciceronem de Pansa Mutinam profecto et de Planco pacis auctore ante ep. II 1 litteras nobis non traditas ad Brutum dedisse suspicatur, id nobis eo minus probat, quod idem Cicero ep. II 2 demum animi Lepidi levis et inconstantis, cum hic eodem tempore pacis auctor exstiterit, mentionem facit.

Epistola II 1.

Cicero Bruto Sal.

1. Cum haec scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimen, tristes enim de Bruto nostro litterae nuntiique afferebantur; me quidem non maxime conturbabant, his enim exercitibus ducibusque quos habemus nullo modo poteram diffidere. Neque assentiebar maiori parti hominum, fidem enim consulum non condemnabam, quae suspecta vehementer erat: desiderabam nonnullis in rebus prudentiam et celeritatem, qua si essent usi, iam pridem rem *publicam* recuperassemus; non enim ignoras, quanta momenta sint in re publica temporum et quid intersit idem illud utrum ante an post decernatur suscipiatur agatur. Omnia, quae severe decreta sunt hoc tumultu, si aut quo die dixi sententiam perfecta essent et non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore suscepta sunt [ut agerentur] non tardata et procrastinata, bellum iam nullum haberemus. 2. Omnia, Brute, praestiti rei publicae, quae praestare debuit is qui esset *in* eo in quo ego sum gradu senatus populique iudicio collocatus, nec illa modo, quae nimirum sola ab homine sunt postulanda, fidem vigilantiam patriae caritatem — ea sunt enim, quae nemo est qui non praestare debeat —; ego autem ei, qui sententiam dicat in principibus de re publica, puto etiam prudentiam esse praestandam, nec me, cum mihi tantum sumpserim ut gubernacula rei publicae prehenderem, minus putarim reprehendendum, si inu-

tiliter aliquid senatui suaserim quam si infideliter. 3. Acta quae sint quaeque agantur, scio perscribi ad te diligenter; ex me autem illud est quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in aci*e* esse neque respectum ullum quaerere, nisi me utilitas civitatis forte converterit. Maior*i*s autem part*i*s animi te Cassiumque respiciunt: quam ob rem ita te para, Brute, ut intellegas aut, si hoc tempore bene res gesta sit, tibi meliorem rem publicam esse faciendam aut, si quid offensum sit, per te esse eandem recuperandam [1]).

1. *publicam* Lambinus: om. Cratander — *[ut agerentur]* a me seclusa — 2. *esset in eo* cum Lambino Wesenbergius: *esset eo* Crat., Baiterus. — 3. *in acie* Lamb. Wesenb. Bait.: *in aciem* Crat. — *maioris autem partis animi* conieci: *maiores a. partes a.* vulgo.

De tempore huius epistolae antehac O. E. Schmidtius [2]) et P. Meyerus [3]) disputaverunt, quorum alter intra temporis spatium, quod inter a. d. XIII Kal. Apr. (d. 20 m. Martii) et a. d. VII Non. Apr. (d. 7 m. Aprilis) intercidit, alter a. d. XV vel XIV Kal. Mai. (d. 17 vel 18 m. Aprilis) datam esse statuit. Itaque si illum sequimur, haec epistola ante ceteras eiusdem libri epistolas posita suum locum et iustum obtinet; sin hunc, neglecta librorum manu scriptorum memoria postrema omnium huius libri epistolarum habenda est. Nobis vero hac Meyeri sententia — ut quid de ea sentiamus mox aperiamus — nihil aliud agi videtur nisi ut tota de his epistolis quaestio conturbetur: neque enim ullas certas causas aut necessarias, cur traditum ordinem reiciamus, attulit, et ipsam epistolam ita totam institutam esse, per se ut hanc rationem

[1]) In verbis harum epistolarum perscribendis Wesenbergium plerumque sum secutus, qui ordinem, quo singulas earum partes antea male disturbatas recte se excipere a viris doctis iam pridem perspectum et demonstratum erat, primus in editionem suam recepit.

[2]) l. c. p. 29 sqq.

[3]) l. c. p. 9 sqq.

respuat, quisquis eam paulo accuratius examinaverit concedet. Iam vero, etsi Schmidtium de hac temporis quaestione multo rectius statuisse iudicamus, ne ei quidem omni ex parte assentiendum censemus. Sed cum ad hanc rem diiudicandam nostra quidem sententia totius epistolae ratio habenda omnesque quae ea continentur sententiae perpendendae sint, ad ipsam epistolam explicandam transeamus.

§ 1. Quod prima epistola Cicero „Cum haec scribebam“, inquit, „res existimabatur in extremum adducta discrimen“: iis de quibus agitur temporibus persaepe ad eandem sententiam revertitur iisdem fere verbis usus; velut iam superiore anno exeunte oratione Phil. III 29 „res“, inquit, „in id discrimen adducta est, utrum ille (M. Antonius) poenas rei publicae luat, an nos serviamus“; Phil. VI 19 (d. 3 m. Ian.) „res in extremum est adducta discrimen“; Phil. VII 1 mense fere post habita: „adducta est enim, patres conscripti, res in maximum periculum et in extremum paene discrimen“. Hoc loco certam affert periculi causam, cum haec addit: „tristes enim de Bruto nostro litterae nuntiique afferebantur“. Cum his maxime comparanda sunt, quae in epistola ad Cassium (fam. XII 6) exstant: „res, cum haec scribebam, erat in extremum adducta discrimen; Brutus enim Mutinae vix iam sustinebat“, et in secunda huius libri epistola: „nos exspectatio sollicitat, quae est omnis iam in extremum adducta discrimen; est enim spes omnis in Bruto expediendo, de quo vehementer timebamus“. Ex his quos ex epistolis modo attulimus locis et illam ad Cassium datam et utramque huius libri epistolam haud nimis longo temporis intervallo a Cicerone scriptas esse apparet. Ac Schmidtius quidem ep. ad fam. XII 6 et hanc de qua nunc agimus eodem plane temporis spatio datas esse statuit. Quam rem paulo aliter se habere crediderim. Neque enim omittendum est, quid inter illius epistolae verba haec: „res—erat in extr. add. discr.“, et huius verba haec: „res existimabatur in e. a. d.“, intersit: nimirum illa eius sunt, qui quam tunc ipse cognoverit rerum condicionem narrat; contra haec, quid aliis, non ipsi, visum sit, commemorantis sunt. Idem inter ea quae utraque epistola subsequun-

tur interest, illic: „Brutus enim Mutinae vix iam sustinebat“, hic: „tristes enim de Bruto nostro litterae nuntiique afferebantur“. Hic tantummodo de nuntiis allatis Brutum certiorem facit — nuntii autem illi saepe falsi erant, velut Phil. XIII 45 „sensimus hoc nuper falso nuntio“ —; illic vero de re explorata iam et vera loquitur. Quid quod, quae hac epistola proxime adduntur, illi hominum opinioni aperte opponuntur nuntiosque illos in dubium vocant. Sunt enim haec: „me quidem non maxime conturbabant; his enim exercitibus ducibusque, quos habemus, nullo modo poteram diffidere“. Quae cum ita sint, hanc epistolam aliquanto ante illam (fam. XII 6) datam esse mihi quidem probatum est. Nam etsi sententiae nonnullae atque verba ipsa similia et paene eadem in his epistolis exstant, tamen in eo, quod caput est, in D. Bruti condicione iudicanda et commemoranda tantum inter eas discrimen intercedit, ut iisdem certe diebus utraque dari non potuerit. Quin multo potius epistola illa ad Cassium data cum altera huius libri epistola comparari potest, si quidem inter sententiam quae est: „Brutus Mutinae vix iam sustinebat“ et hanc: „est spes omnis in Bruto expediendo, de quo vehementer timebamus“ reapse nihil interest. Contra cum fiducia Ciceronis, quam hac de qua nunc agimus epistola ostendit, melius congruunt quae priore epistola ad Cassium eodem tempore quo Phil. X habuit data (fam. XII 5, 2) scribit: „— nisi me fallebat, res se sic habebat, ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum videretur, qui si, ut sperabamus, erupisset Mutina, nihil belli reliquum fore videbatur“.

Quod Cicero verbis ex hac epistola modo allatis timori ceterorum suam fiduciam opponit, exempla similia non desunt, velut Phil. VIII 22 sic dicit: „animum nobis afferre legati debuerunt; timorem attulerunt — quamquam mihi quidem nullum“.

Tum et Schmidtius et Meyerus illa, quae de fide exercitibus ducibusque habenda Cicero scribit, cum his quae proxima sunt: „Neque assentiebar maiori parti hominum, fidem enim consulum non condemnabam, quae suspecta vehemen-

ter erat" e. q. s., ita coniungunt, ut Ciceronem, cum hanc epistolam daret, utrumque consulem iam militantem cogitasse concludant. Quod minime effici videtur, nisi vero ex his quae Phil. VII 20 Kal. Febr. aut pridie Cicero dixerat: „eos consules habemus, eam populi Romani alacritatem, eum consensum Italiae, eos duces, eos exercitus, ut nullam calamitatem res publica accipere possit sine culpa senatus"; vel etiam ex his quae Phil. IV 15 priore iam anno exeunte ad populum dixerat: „— Antonii nefarium latrocinium — felicitate et virtute exercituum ducumque vestrorum brevi tempore oppressum audietis" — idem concludendum esse quis putabit? [1]). Immo illis, quae de exercitibus ducibusque sunt dicta, causa affertur cur tristibus illis de D. Bruto litteris nuntiisque minus conturbatus sit; his autem, quae tamquam illis monitus deinceps de consulum fide scribit, ad alteram huius epistolae partem transit, quam ceteris sententiis (§ 1) persequitur: illa ad D. Bruti condicionem pertinent, haec in rebus Romae actis versantur. Neque enim Cicero consules cum exercitibus coniungit, sed duces Hirtium et Octavianum significat; consulum autem fidem iam aliquanto ante quam Pansa Roma proficisceretur suspectam fuisse mox videbimus. Quam ob rem quominus hanc epistolam ante discessum Pansae (i. e. ante d. 20 m. Martii) datam esse statuamus nihil obstare videtur.

Iam si quaesiverimus, cur fidem consulum maiori parti hominum vehementer suspectam visam esse Cicero scribat, orationes Philippicae XI et XII nos docebunt. Illa enim oratione (§ 21) „sententiam, ut consules Dolabellae persequendi causa Asiam et Syriam sortirentur", suspicionem movisse indicat, cum haec dicit: „Asiae et Syriae mentio fiet, ut aut suspicioni crimen aut invidiae materiam dedisse videamur?" — et post pauca (§ 23) de eadem re: „adde istuc sermones hominum, adde suspicionem, adde invidiam. — Nemo erit

---

[1]) Contra conferri potest Phil. XIII 16, ubi Pansa Roma profecto Cicero sic dicit: „Caesar confecit invictum exercitum, duo fortissimi consules adsunt cum copiis" e. q. s.

praeter unum me, — qui credat te invito provinciam tibi esse decretam. Hanc, quaeso, pro tua singulari sapientia reprime famam atque effice ne id, quod non curas, cupere videare“ e. q. s. — In primis autem hic quem tractamus locus iis explicatur, quae in Phil. XII de suspecta consulum fide afferuntur. Quo praeter primas eius orationis sententias haec pertinent (§ 6): „quid? vir fortissimus Pansa sine causa paulo ante tam accurate locutus est, tam diu? Quid egit nisi uti falsam proditionis a se suspicionem depelleret? Unde autem illa suspicio est? Ex pacis patrocinio repentino, quod subito suscepit, eodem captus errore quo nos“. Tum comparanda sunt, quae ibidem (§ 9) de Hirtio dicuntur, porro §§ 15—16, denique haec (§ 18): „te ipsum, Pansa, vehementissimum et fortissimum consulem factum iam putant leniorem: non quo ita sit aut esse possit, sed mentio a te facta pacis suspicionem multis attulit immutatae voluntatis.“ — Ex his id quoque apparet, Ciceronem fidem consulum semper publice quidem defendisse [1]; huius loci idem meminisse videtur, cum post proelium apud Forum Gallorum factum ad eundem Brutum haec scribit (I 3, 1): „quales tibi saepe scripsi consules, tales exstiterunt,“ et posteriore tempore (ad Br. I 10, 1) de Pansa in eandem sententiam: „cui consuli,“ inquit, „non animus ab initio, non fides ad extremum defuit.“ — Ne in tempore quidem huius epistolae constituendo, locus de quo modo egimus praetermittendus videtur. Nam, quae hic Cicero de fide consulum scribit cum iis quae ex Phil. XII attulimus tantopere consentiunt, ut equidem non dubitem hanc epistolam eodem tempore, quo oratio illa habita sit, scriptam esse statuere.

Ante iam Ciceronem iis, quae de suspecta consulum fide scribit, ad res Romae et in senatu actas transgressum esse monuimus. Atque quae deinceps sequuntur, non iam ad certum quoddam tempus referenda sunt, sed ad univer-

---

[1]) Cfr etiam epistolas ad Trebonium et ad Cassium (fam. X 28, 3 et XII 4, 1) m. Februario datas (Schm. l. c. p. 26).

sum spectant temporis spatium, quod inde ab M. Antonio Roma profecto praeterierat. Nam quod Cicero primum sic scribit: „desiderabam nonnullis in rebus prudentiam et celeritatem, qua si essent usi (consules), iam pridem rem publicam recuperassemus:" — quid aliud agit, nisi ut summam suorum in re publica consiliorum contentionumque proximorum mensium quam paucissimis complectatur? Iam ut quae brevissime modo indicaverat paulo diligentius explicet, quasi locum communem de administranda re publica affert; — nempe vir in re publica maxime versatus apud alterum sui similem verba facit, — haec proxime addit: „non enim ignoras, quanta momenta sint in re publica temporum et quid intersit idem illud utrum ante an post decernatur suscipiatur agatur." Denique vim huius sententiae iis, quae proximis mensibus Romae acta erant, ita probat ut dicat: „Omnia, quae severe decreta sunt hoc tumultu, si aut quo die dixi sententiam perfecta essent et non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore suscepta sunt [ut agerentur] non tardata et procrastinata, bellum iam nullum baberemus." — Quae omnia quem ad modum ceteris libris significato illo temporis spatio a Cicerone scriptis illustrari possint, nunc videamus.

Iam prima oratione Phil. III, a. d. XIII Kal. Ian. (d. 20 m. Decembris prioris anni) habita inter alia multa haec dixerat (§ 1): „Serius omnino, patres conscripti, quam tempus rei publicae postulabat, aliquando tamen convocati sumus; quod flagitabam equidem cotidie. — Exspectantur Kalendae Ianuariae, quas non exspectat Antonius. — (§ 2.) Quae est igitur exspectatio aut quae vel minimi dilatio temporis? Quamquam enim adsunt Kalendae Ianuariae, tamen breve tempus longum est imparatis. Dies enim affert vel hora potius, nisi provisum est, magnas saepe clades. — Quod si aut Kalendae Ianuariae fuissent eo die, quo primum ex urbe fugit Antonius, aut eae non essent exspectatae, bellum iam nullum haberemus" e. q. s. — Nonne ex his apparet eandem Ciceroni iam tum fuisse de re publica recuperanda sententiam, quam epistola nostra Bruto explicat? — Venerunt autem tandem Kalendae illae Ianuariae, quas vix ex-

spectare potuerat, illuxit aliquando ille dies, quem primum futurum esse audaciae Antonii frangendae finemque belli civilis faciendi confisus erat. Atque oratio quidem consulum illo die in senatu habita „animum (Ciceronis) erexit spemque attulit non modo salutis conservandae, verum etiam dignitatis pristinae recuperandae“ (Phil. V 1); — at vero in eodem senatus consessu primum mentio facta est legationis ad Antonium de pace mittendae, quod consilium Ciceroni nihil aliud valere videbatur, nisi ut bellum traheretur atque Antonio facultas daretur rei publicae opprimendae. Itaque et ea quam eodem die habuit oratione (Phil. V) et iis quae proximae exstant tribus (Phil. VI, VII, VIII) nihil fere aliud agit, nisi ut haec consilia ad pacem pertinentia quam acerrime impugnet animosque hominum ab iis avertat. Nam quidquid dicit, iterum iterumque eodem revertitur: bellum cum Antonio sine mora summo consensu summaque celeritate adhibita apparandum gerendumque esse. De hac ipsa re in Phil. V (§§ 25—35) perpetua oratione disserit, praeterea autem singulae sententiae et eius et ceterarum illarum orationum paene innumerabiles eiusdem sunt generis.

Tum ad singulas huius epistolae sententias illustrandas haec prae ceteris exempla ex orationibus illis desumpta pertinere videntur. Primum autem quod Cicero: „desiderabam,“ inquit, “nonnullis in rebus“ e. q. s., eo effectum esse videtur, quod his praemissis iudicium suum de actis consulum quod haud bonam in partem facturus erat quasi lenire et coërcere voluit, quippe qui eadem epistola a suspicione maioris partis hominum ipsos plerumque defenderet. „Prudentiam“ igitur se desiderasse dicit. De hac re etsi Ciceronem nec potuisse nec voluisse quicquam publice et aperte dicere consentaneum est, tamen cum omnia quae ab ipsius sententia quoque tempore dicta abhorrerent, ab illis minus prudenter acta ei visa esse apertum est, tum certa quaedam indicia eius vituperationis in orationibus exstant. Iam ante Kal. Ian., cum etiamtum consules designati essent, Ciceronem operam eorum desiderasse ex Phil. V 30 concludi potest, quod, quo die senatus post discessum Antonii primum libere haberi potuis-

set, eos ne adfuisse quidem monet. Post autem quam Hirtius ad bellum profectus est, reprehensiones Ciceronis ad eum, nisi quod in ipso bello segnius vel imprudentius se gereret [1]), pertinere non fere potuerunt. Ad Pansam igitur ea spectant, quae in orationibus inveniuntur. Atque huius quidem generis prima verba orationis Phil. VII sunt: „Parvis de rebus, sed fortasse necessariis consulimur: de Appia via et de Moneta consul — refert; quarum rerum etsi facilis explicatio videtur, tamen animus aberrat a sententia suspensus curis maioribus“ e. q. s. Neque tota oratione de rebus relatis quicquam dicit, nisi extrema haec: „quibus de rebus refers, P. Servilio assentior.“ In his aliquid vituperationis inesse quis non videt, quod consul animis hominum summis de rebus suspensis de nugis rettulerit. Neque laudibus, quas eadem oratione (§§ 5—7) Cicero, postquam consulares aperte reprehendit, Pansae consuli tribuit, desunt aculei. Nam quo spectet Cicero, e verbis (§ 7): „tum autem illustratur consulatus, cum gubernat rem publicam“ e. q. s., cum his comparatis (§ 27): „Te ipsum, Pansa, moneo — hunc tantum tuum apparatum tamque praeclarum ne ad nihilum recidere patiare“ colligendum est. Deinde primis orationis Phil. VIII verbis: „Confusius hesterno die est acta res, C. Pansa, quam postulabat institutum consulatus tui: parum mihi visus es eos, quibus cedere non soles, sustinere“ cet. — apertissima Pansae vituperatio continetur, qui parum sibi constaus in eorum sententiam discesserit, qui etiam tum lenioribus quibusdam in Antonium uti vellent consiliis. — Tum eadem illa quae ex orationibus Phil. XI et XII, ut Ciceronem fidem consulum a suspicionibus hominum defendisse ostenderemus, ante attulimus, non omnia ex animi sententia dicta esse putandum est. Immo sicut saepissime [2]) aliud sensit, aliud dicendum esse existimavit. Hoc cum ex primis sententiis orationis XII tum ex his licet agnoscere: „Accessit consul

[1]) Cfr ep. ad Brutum I 10, 2: »bellum ad Mutinam ita gerebatur, nihil ut in Caesare reprehenderes, nonnulla in Hirtio.«

[2]) Cfr Cobet. Mnemosyne, l. c. p. 263 sqq.

hortator (pacis). At qui consul! si prudentiam quaerimus, qui minime falli posset; si virtutem, qui nullam pacem probaret, nisi Antonio concedente atque victo". Nam cum consulem „errore captum esse," „leniorem factum videri" dicit, idem prorsus in animo habet quod nostra epistola, cum „prudentiam se desiderasse" scribit. — Denique conferri possunt: Phil. XIV 21–22 et ep. ad fam. XII 7.

Quod celeritate quoque consules parum usos esse Cicero scribit, eandem rem adeo saepe in ore habet, ut locos qui maxime huc pertinent satis sit enumerasse, cuius generis hi sunt: Phil. III 2; V 26—34; 53; VI 7; 15; VIII 17; XI 25.

Quae autem addit: „qua (celeritate) si essent usi, iam pridem rem publicam recuperassemus," prorsus eorum monent, quae extrema Phil. V (§ 53) exstant: „celeritate autem opus est: qua si essemus usi, bellum, ut saepe dixi nullum haberemus."

Deinceps quantum in re publica singula momenta temporum valeant Brutum monet, cui sententiae simillimum exemplum eadem illa V Phil. exhibet hoc (§ 26): „minimis momentis, patres conscr., maximae inclinationes temporum fiunt," inter quos locos quasi medius intercedit hic (De fin. V 11): „quae essent in re publica rerum inclinationes et momenta temporum." [1]). Quae proxima sunt Meyero rhetorica et nimia videntur, mea vero sententia id agunt, ut communem illum locum ad ea quae in re publica re vera acta esse traduntur („Omnia, quae severe decreta sunt hoc tumultu" cet.) accommodent; nam haec si nulla media sententia interposita ad illa essent addita quae in universum de temporum in re publica momentis dicta erant, iure aliquid desideraretur. Iam, ut sunt, aptissime singula se excipiunt. — Cum hac autem quam proxime significavimus sententia in primis comparanda sunt, quae Cicero Phil. V 30 dicit: „quo die primum convocati sumus — ieci sententia mea ma-

---

[1]) Ad locos praeterea conferendos, quos plures Meyerus attulit (l. c. p. 168 adn.), addi potest Phil. III 1—2.

ximo vestro consensu fundamenta rei publicae, serius omnino quam decuit — nec enim ante potui —, sed tamen si ex eo tempore dies nullus intermissus esset, bellum profecto nullum haberemus". Tum vero ad eandem sententiam et probandam et explicandam praeter multos locos, ubi decretorum illorum mentio fit, velut Phil. V 28; VII 9—13; XII 2, haec pertinent: Phil. V 31 Cicero dixerat „rem administrandam arbitror sine ulla mora et confestim gerendam censeo; tumultum decerni, iustitium edici, saga sumi dico oportere, dilectum haberi sublatis vacationibus in urbe et in Italia praeter Galliam tota", et paulo post (§ 34): „quapropter ne multa nobis cotidie decernenda sint, cet. — si haec censueritis, p. c., brevi tempore libertatem populi Romani auctoritatemque vestram recuperabitis; si autem lenius agetis, tamen eadem, sed fortasse serius decernetis". Quae vero censuerat Cicero eo tempore non sunt decreta: immo de pace legati sunt ad Antonium missi. Itaque Cicero Phil. VI 16 duobus post diebus in concione haec dixit: „minus hodierno die contendi, minus laboravi, ut mihi senatus adsentiens tumultum decerneret saga sumi iuberet: malui viginti diebus post sententiam meam laudari ab omnibus quam a paucis hodie vituperari". Atque Phil. VIII uno mense post, cum legati infectis rebus rediissent, habita haec exstant (§ 2): „tumultum appellare malebant (hesterno die)" et (§ 6): „dilectus tota Italia decreti sublatis vacationibus, saga cras sumentur".

§ 2. Media pars epistolae in laudibus ipsius Ciceronis praedicandis versatur. Est autem hoc genus ipsum laudandi Ciceronis proprium nec minimam partem in epistolis usurpatum. Atque in hac epistola eo minus offendere debet, quod id ipsum agit Cicero, ut communicatione consiliorum nonnullis mensibus intermissa suas in re publica contentiones actionesque Bruto exponat et commendet. Quae hic de se praedicat, ad ea proxime accedunt, quae Phil. VII 20 dicit: „equidem non deero: monebo praedicam denuntiabo testabor semper deos hominesque quid sentiam, nec solum fidem meam, quod fortasse videatur satis esse, sed in principe civi non

est satis, curam consilium vigilantiamque praestabo". Deinde conferri possunt Phil. VIII 30 et de prudentia principi civi praestanda Phil. XII 1. Iam Phil. III 33 his usus erat verbis: „nullum tempus, p. c., dimittam neque diurnum neque nocturnum, quin de libertate populi Romani et dignitate vestra quod cogitandum sit cogitem, quod agendum atque faciendum id non modo recusem sed etiam appetam atque deposcam", quae maxime quasi respiciens ineunte m. Februario ad Trebonium (ad fam. X 28) scribit: „nam cum senatum a. d. XIII Kalendas Ianuarias tribuni pl. vocavissent deque alia re referrent, totam rem publicam sum complexus egique acerrime senatumque iam languentem et defessum ad pristinam virtutem consuetudinemque revocavi magis animi quam ingenii viribus. Hic dies meaque contentio atque actio spem primum populo Romano attulit libertatis recuperandae; nec vero ipse postea tempus ullum intermisi de re publica non cogitandi solum sed etiam agendi. Quod nisi res urbanas actaque omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem, quamquam eram maximis occupationibus impeditus", et ad Cornificium mense Ianuario (ad fam. XII 24): „ego tamen, ut primum occasio data est meo pristino more rem publicam defendendi, me principem senatui populoque Romano professus sum, nec postea quam suscepi causam libertatis minimum tempus amisi tuendae salutis libertatisque communis", quibus addi possunt similes loci de epistolis complures, velut ad fam. XII 25, 2; 28, 3, ad Atticum I 19, 6. Denique Phil. XIV 19—20 consilia acta sua complexus sic dicit: „memoria tenent (omnes) me ante diem XIII Kal. Ian. principem revocandae libertatis fuisse; me ex Kal. Ian. ad hanc horam invigilasse rei publicae, meam domum measque auris dies noctisque omnium praeceptis monitisque patuisse, meis litteris meis nuntiis meis cohortationibus omnis qui ubique essent ad patriae praesidium excitatos, meis sententiis a Kal. Ian. numquam legatos ad Antonium, semper illum hostem, semper hoc bellum, ut ego, qui omni tempore verae pacis auctor fuissem, huic essem nomini pestiferae pacis inimicus".

§ 3. Sequitur ut extremam quoque epistolae partem eadem

qua priores ratione pertractemus. Rebus consiliisque quae ad proximos menses referenda sunt brevi comprehensis Cicero iam ad eum rerum statum, qui tunc esse Romae visus sit, indicandum revertitur. Quod vero primum scire se scribit quae Romae acta sint quaeque cum maxime agantur ad Brutum diligenter perscribi, eadem ratio plerumque in epistolis Ciceronis late patet multasque ad explicandum affert difficultates, cum persaepe res omittantur, quae prae ceteris existimandae sint commemoratu dignae, quae parvi momenti sint habendae commemorentur, ut aut quo tempore data sit epistola diiudicari non possit aut ipsa tempori quo data est parum apta videatur. Deinceps addit Cicero esse tamen aliquid, quod ex se potissimum Brutum cognitum habere velit: haec quoque prorsus ex usu Tulliano addita esse permulta exempla docent, velut ad Att. IV 1, 4: „nunc, etsi omnia aut scripta esse a tuis arbitror —, tamen ea scribam brevi, quae te puto potissimum ex meis litteris velle cognoscere", et IV 2, 6: „quoniam acta quae sint habes, de reliqua nostra cogitatione cognosce", et ad fam. I 5 b, 1: „hic quae agantur quaeque acta sint, ea te et litteris multorum et nuntiis cognosse arbitror; quae autem posita sunt in coniectura quaeque videntur fore, ea puto tibi a me scribi oportere" [1]). Eundem prorsus in modum ne hic quidem de singulis rebus quicquam scribit, sed qua ipse de rei publicae statu, qua alii fuerint sententia significat et quid inde efficiatur Bruto agendum esse hunc monet.

Ac de se quidem hoc scribit, suum animum in acie esse neque respectum ullum quaerere, quae eandem in sententiam scripta esse videntur atque quae paulo ante ad Cassium scripserat (fam. XII 5, 2): „nisi me fallebat, res se sic habebat, ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum esse videretur" e. q. s. [2]). Tum oratione Phil. XI sententiae, ex qua consules Dolabellae persequendi causa Asiam et Syriam sortirentur, acriter repugnans „si autem",

---

[1]) Plura Meyerus congessit exx. l. c. p. 170.

[2]) Cfr ante p. 20.

inquit (§ 22), „fieri posset, vel pluris te (Pansam) animos habere vellem, quos omnis ad Mutinam intenderes. Quod quoniam fieri non potest, isto te animo quem habes praestantissimum atque optimum nihil volumus nisi de Bruto cogitare", et paulo post (§ 26), cum ipse a M. Bruto aut a Cassio aut ab utroque Dolabellam persequendum esse censuisset, haec subiecerat: „decernerem plane — alterum ambove, ni Brutum colligassemus in Graecia —; non ut eo ex acie respectum haberemus, sed ut ipsa acies subsidium haberet transmarinum". Denique, si hanc epistolam eodem fere tempore quo habita est Phil. XII scriptam esse recte statuimus, cum hoc de quo agimus loco optime convenit, quod Cicero illa oratione ne verbo quidem M. Bruti aut Cassii monet, sed omnis eius cura contentioque in bello ad Mutinam gerendo Decimoque Bruto liberando defixa est: quin his utitur verbis (§ 3): „quod si in bello dari vicarii solerent, libenter me, ut D. Brutus emitteretur, pro illo includi paterer". Cur autem nullum praesidium vel "respectum" quaesiverit ipse ostendit, cum (§ 9, cfr. §§ 10 et 16) epistolas Hirtii et Caesaris spem victoriae declarantis in manu se tenere dicit. — Neque tamen utilitate rei publicae se converti posse negat, id quod postea ipse probavit, cum consulibus ad Mutinam occisis atque Antonio de manibus D. Bruti et Caesaris emisso M. Brutum Cassiumque in Italiam arcessere non desineret [1]). De aliis autem consularibus sic queritur (Phil. XIV 17): „quo me dolore affici creditis, cum — videam alios — sententiam suam non semper utilitate rei publicae, sed tum spe tum timore moderari?"

Iam si de verborum quae proxima sunt scriptura recte conieceriumus (qua de re infra disputandum erit), ita interpretanda sunt, Ciceronem suae sententiae de qua modo egimus eam opponere, qua fuerit maior pars hominum, atque horum animos iam tum, cum hanc dederit epistolam, praesidium quaerentes Brutum Cassiumque respexisse scribere. Ad haec proxime accedunt quae in epistola ad Cassium ante

[1]) Cfr epp. ad Brutum I 9, 3; 10, 1, 4, 5; 12, 2; 14, 2; ad fam. XI 14, 2; 25, 2; XII 8, 2; 9, 2; 10, 4.

commemorata (fam. XII 6, 2) scripta sunt: „tu velim sic existimes tibique persuadeas omne perfugium bonorum in te et Bruto esse positum, si, quod nolim, adversi quid evenerit“, et post pauca: „omnis omnium cursus est ad vos“. Ante monuimus ipsi Ciceroni, cum eandem illam epistolam ad Cassium daret, longe aliam atque tum cum hanc de qua agimus scriberet visam esse D. Bruti condicionem, atque ex eo illam aliquanto post hanc esse datam collegimus. Quo igitur vehementius Cicero de Decimo timuerit, eo pluribus verbis ragvioribusque eum de perfugio hominum in Bruto et Cassio posito ad ipsos scripsisse apparet, quare hanc epistolam aliquanto ante quam illam esse missam quodam modo confirmatur.

Ad extremum Cicero ex iis quae proxime scripserat hoc efficit Brutum ita se parare debere, ut intellegat, si bene res ad Mutinam gesta sit, sibi meliorem rem publicam faciendam esse, sin quid offensum sit, per ipsum eandem esse recuperandam. Simillima sunt quae epistola modo allata ad Cassium scribit extrema: „proinde fac animum tantum habeas tantumque apparatum, quanto opus est ad universam rem publicam recuperandam“ — praeterquam quod hic rem bene geri posse ne sperat quidem, quod cum prioribus optime congruit [1]).

Postquam singularum iam absolvimus sententiarum explicationem, quid ex iis visum sit de tempore huius epistolae concludi posse paucis comprehendamus. Atque ea quae quidem prima epistola de D. Bruto commemorantur si cum iis comparaveris quae Cicero de eodem ad Cassium scribit, hanc epistolam medium inter illas locum ita tenere docent, ut priori (fam. XII 5), quae paulo post habitam orationem Phil. X data est, tempore sit propior. Deinde quod Cicero fidem consulum hominum suspicionibus liberare vult, idem eum Phil. cum XI tum XII agere monuimus. Tum vero mediae epistolae, quae ad acta priorum mensium spectat, plerasque sententias in Phil. V reperiri ex iis quae attulimus apparet.

---

[1]) Ceterum eiusmodi cohortationes usitatissimae sunt, cfr fam. XI 5, 2; 7, 3; XII 2, 3; 5, 3; 7, 2; 8, 2; 10, 4.

Atque illa quidem similitudo non solum sententiarum sed etiam verborum tanta est, ut quasi commentariolus haec epistola orationi illi subiectus esse videatur, quem Cicero, cum orationem illam unaque decimam ad Brutum mitteret, iis adiunxerit. Quod si ita est, quo tempore Brutus orationes illas acceperit hanc quoque epistolam eum accepisse colligendum est. Denique quod extrema epistola animum suum totum ad bellum Mutinense intentum esse scribit, plane cum iis quae orationibus agit Phil. XI et XII convenire ostendimus; quae autem de aliorum animis quaeque ad Brutum cohortandum addit ad prius quoddam tempus videbantur, quam quo epistolam ad Cassium (XII 6) scriberet, spectare.

Quae cum ita sint, Schmidtio equidem assentiri noluerim, qui et hanc epistolam et illam ad Cassium missam plane eodem tempore datas esse statuit [1]; sed et eodem fere tempore quo habita est oratio Phil. XII i. e. post Non. Mart. et ante a. d. XIII Kal. Apr. scriptam esse et una cum orationibus Phil. V et X ad Brutum missam censeo, quas quandoquidem Brutus haud multo ante Kal. Apr. accepisse videtur [2], paulo ante a. d. XIII Kal. Apr. a Cicerone missas esse efficitur [3].

Iam si recte se habent quae de tempore huius epistolae ratiocinati sumus, omnium Ciceronis et Bruti quae nunc exstant epistolarum prima est habenda. Atque hanc, qua Ciceronem summas tantum res trium mensium spatio actas attingere vidimus, si cum ceteris comparaverimus, longe

---

[1] Cfr ante p. 18.

[2] Cfr ep. huius libri 3, 4. Quod autem Brutus eodem loco nullam huius epistolae facit mentionem, id eam ipsam ob rem fecisse videtur, quod orationibus illis quas commemorat quasi appendix addita erat neque quicquam in ea erat scriptum, ad quod ei respondendum esset.

[3] Nam litteras Roma Dyrrhachium undecimo plerumque die perlatas esse Schmidtius demonstravit (l. c. p. 11 sq.). Atque ne hanc epistolam post a. d. XIII Kal. Apr. datam ponamus, cum aliis de causis tum eo prohibemur, quod nulla in ea Lepidi affinis Bruti est mentio facta, qui eo die pacis exstitit auctor, cfr ep. huius libri 2, 1.

diversam earum esse rationem reperiemus, quippe quae totae fere in singulis rebus versentur, quae ad suum quaeque tempus pertineant [1]). Quare quo aptius prima suum obtinet locum, eo ineptior videbitur inter ceteras quocumque interiecta.

Reliquum est ut de singulis verbis dicendique generibus huius epistolae nonnulla disseramus.

§ 1. De primis verbis his: cum haec scribebam homines docti paulum dissenserunt [2]); videtur autem Cicero in huiusmodi locutionibus ut hoc loco ita saepissime indicativo esse usus: cfr praeter locos a Meyero allatos: Att. VII 18, 1; VIII 9, 4; 15, 3; 16, 2; fam. V 12, 2; VI 4, 1; XVI 10, 2; Q. fr. III 3, 1; neque tamen desunt exempla coniunctivi simili ratione positi, velut: Att. II 8, 1; 15, 3; XV 13, 7; 27, 3. — res existimabatur in extremum adducta discrimen: cfr ante p. 19. — tristes — litterae nuntiique — me quidem non maxime conturbabant: in Verr. II 74, „iste — pertimuit et conturbatus est;" ib. IV 32 „se sane tristem et conturbatum domum revertisse;" pro Planc. 4 „non me id magno opere conturbat;" Phil. II 32, 36. — neque assentiebar maiori parti hominum: Phil. VII 16 „offendit animos maioris partis hominum"; fam. X 32, 5 „maior pars senatus;" de leg. agr. II 21 „maiorem partem populi;" ib. 22 „maiore parte populi." — fidem enim consulum non condemnabam: de dom. 9 „an quia non condemnavi sententia mea duo consules, sum reprehendendus." — qua si essent usi: Att. XIV 22, 1 „clementiam illi malo fuisse, qua si usus non esset, nihil ei tale accidere potuisse," cfr Phil. V 53 (p. 26). — rem publicam recuperassemus: fam. XII 2, 3; 6, 2; 7, 2; Phil. V 1, 11, 34, alibi. — quanta momenta sint in re publica temporum: cfr ante p. 26.

---

1) Quod excipienda est prima pars (§§ 1—2) epistolae quintae, cfr ibidem.

2) Cfr Meyer. l. c. p. 109.

— quid intersit idem illud utrum ante an post decernatur suscipiatur agatur: haec Meyero displicent [1], quod nihil antecedat, quo pronomen quod est „illud“ referri possit; mihi vero „idem illud“ videntur cum verbo „intersit“ esse coniungenda, ut ad vim temporum cuius proxime monuerat Cicero respiciant; tum iis quae subsequuntur „utrum ante an post“ cet. idem accuratius explicatur, velut fam. VIII 8. 9 „dixit hoc nihil interesse, utrum C. Caesar senatui dicto audiens futurus non esset, an pararet, qui senatum decernere non pateretur;“ in Verr. III 147 „neque illud umquam aratoris interfuit, quanti decumae venirent.“ Praeterea exstant loci, ubi vocabula illa „idem illud“ non ad res diserte scriptas sed ei cui data est epistola omnino cognitas referenda sint, velut fam. IV 9, 1 „non est porro tuum uno sensu solum oculorum moveri, cum idem illud auribus percipias — minus laborare.“ — decernatur suscipiatur agatur: Att. XVI 16 c, 11 "earum rerum quas Caesar statuisset decrevisset egisset.“ — in diem ex die dilata: haec hominibus doctis non parum latine solum et graece sed etiam prorsus barbare scripta esse videntur [2], atque simili exemplo adhuc caremus; tamen in Hermanni explicatione [3] acquiescendum esse puto, nam cum et „diem ex die differre“ et „rem in (alium) diem differre“ recte dicatur, cur negabimus Ciceronem graecum sermonem imitantem (Herod. IX 8 „ἐξ ἡμέρης ἐς ἡμέρην ἀναβαλλόμενοι“), cuius rationis in epistolis multa exstant exempla, atque ut tarditatem et procrastinationem illam eo accuratius exprimeret, aliquando utrumque genus conectere et simul ponere potuisse, praesertim cum enuntiationem ita instituisset, ut differendi verbum passive poneret et priore illo genere uti nequiret? Neque enim „diem de“ vel „ex die“ nisi perraro apud optimos scriptores invenitur [4]: semel apud Ciceronem

---

1) l. c. p. 109.
2) Cfr Meyer. l. c. p. 109.
3) Zur Rechtf. I p. 8 adn. 24.
4) Si quidem Allgayero fides est habenda, cfr Antibarb. p. 991 sq.

(Att. VII 26, 3), apud Caesarem semel, apud Livium bis, semel apud Tacitum et Senecam. Denique singulare hoc dicendi genus nonne potius ipsi Ciceroni multa novanti quam „imitatori“ nescio cui „Ciceronis ab eiusque aetate haud longe remoto“ [1]) tribuendum est? — quo ex tempore suscepta sunt [ut agerentur]: in his aliquid nimii inesse Meyero [2]) concedendum videtur, neque tamen illa quae extrema sunt „ut agerentur“ putida falsarii diligentia addita sed a librario quodam, ut fit, supposita esse existimaverim. Itaque seclusi, velut fam. X 4, 4 ex his: „sum in exspectatione omnium rerum quid in Gallia citeriore, quid in urbe mense Ianuario geratur ut sciam“ haec proxima „ut sciam“ ab Ernestio deleta a Baitero uncis inclusa sunt. De suscipiendi verbo cfr Phil. V 32; VI 2; X 14, 20; XIV 17. — tardata et procrastinata: Phil. VI 7 „cum plerisque in rebus gerendis tarditas et procrastinatio odiosa est, tum hoc bellum indiget celeritatis“. — bellum iam nullum haberemus: iisdem verbis Cicero utitur Phil. III 2; V 30, 53.

§ 2. Brute: in frequentia allocutionum quae in epistolis Brutinis inveniuntur Becherus [3]) offendit. Postquam ipse earum plerumque „numerum pro amicitiae necessitudine aut augeri aut imminui“ statuit, hoc maxime mirandum esse monet, cum „per totum volumen epistolarum ad Atticum datarum viginti duae allocutiones dispersae sint“, in his Brutinis epistolis non minus triginta exstare. At longe alia, ni fallor, allocutionum illarum ratio est, nam et ad homines et ad tempora et ad res de quibus ageret Cicero usum earum ita accommodasse videtur, ut et quo maiora quoque tempore epistolis impetrare vellet et quo magis quemque illis familiaritatis significationibus sibi conciliaturum esse speraret, eo crebrius eas adhiberet. Quod ut contendamus, his adducimur exemplis:

---

[1]) Cfr Wesenberg. Emendationes alterae p. 144. — Meyer. l. c. p. 200 sqq.

[2]) l. c. p. 110.

[3]) l. c. p. 14 sq.

in Ciceronis	ad	Plancum (fam. X)	13	epp.	9 all. exstant,
„ „	„	D. Brutum (fam. XI)	14	„	11 „ „
„ „	„	Cassium (fam. XII)	10	„	1 „ „
„ „	„	Cornificium „	7	„	(a. 708—710 datis) 1 all. exstat,
„ „	„	„ „	7	„	(a. 711 datis) 6 all. exstant.

Iam quod in 14 epistolis ad M. Brutum datis, quae praesertim plerumque longiores sint quam illae, 16 exstant allocutiones (ep. I 15 omitto, quae non minus 5 exhibeat, sed aliis de causis etiam maiores moveat suspiciones), eo minus mirandum est, quod etiam in aliorum epistolis eum Cicero identidem „suum" appellat, id quod vix in quemquam alium cadit. Quod autem ad Atticum pertinet, coniunctior familiaritate et amore cum eo erat Cicero, quam ut observantiae blandimentis uteretur. — omnia praestiti rei publicae e. q. s.: Marklandus iam contulit fam. V 13, 4 „praestitimus enim patriae non minus certe quam debuimus, plus profecto quam est ab animo cuiusquam aut consilio hominis postulandum;" cfr etiam ante p. 27 sq. — in quo ego sum gradu — collocatus: Phil. I 14 „idcircone nos populus Romanus consules fecit, ut in altissimo gradu dignitatis locati rem publicam pro nihilo haberemus;" Phil. II 6 „pro hoc gradu in quo me senatus populusque Romanus collocavit;" Phil. VI 18 „quis est civis praesertim hoc gradu quo me esse voluistis —;" plura exx. apud Meyerum p. 170. — ab homine (cfr ep. ad Br. I 1, 1): alii pro „bono cive" dictum esse[1]), alii „quolibet" vel „quovis" addi volunt[2]), sed quomodo interpretandum sit, exempla ab Andresenio congesta [3]) docent, velut Att. X 11, 5; XII 38, 3; fam. XI 29, 2; XV 17, 3. — qui sententiam dicat in principibus de re publica e. q. s.: Phil. VI 2 „ita Kal. Ian. veni in senatum, ut meminissem quam personam impositam a vobis sustinerem;" Phil. VIII

[1]) Zumptius l. c. p. 18 adn. — Becherus l. c. p. 6.

[2]) Meyerus l. c. p. 110.

[3]) Hofmann-Andresen Ausgew. Br. II p. 89 sq.

29 „quam magnum est personam in re publica tueri principis!“ Phil. XIV 17 „utinam quidem illi principes viverent, qui me post meum consulatum, cum eis ipse cederem, principem non inviti videbant!“ e. q. s.; fam. XII 24, 2 „me principem senatui populoque Romano professus sum;“ I 7, 8; IV 8, 2. — ut gubernacula rei publicae prehenderem: Phil. II 113 „habet populus Romanus ad quos gubernacula rei publicae deferat;“ fam. XII 25, 5 „conscende nobiscum et quidem ad puppim: una navis est iam bonorum omnium, quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus“. — infideliter: de hoc vocabulo novo a Cicerone ficto cfr Hermannum (Vind. Lat. p. 34 sq.) et Cobetum (l. c. p. 292 sqq.)

§ 3. Acta quae sint e. q. s.: cfr ante p. 29; addantur fam. V 8, 3 et VI 14, 1. — meum quidem animum in acie esse: sine dubio hoc cotidianum est dicendi genus et Middletonio auctore ita explicandum, ut idem sit ac „intentum esse in aciem et bellum gerendum“ [1]). Cfr Plaut. Pers. 4, 6, 27 „est animus in navi meus;“ Ter. Eun. 4, 7, 46 „iam dudum animus est in patinis,“ atque ipse Cicero cum maerore oppressus Tulliae suae mortuae memoriam fano colere vellet et eam ob rem hortos apud Tiberim emere cuperet, in ep. ad Atticum XII 12, 1 „est igitur,“ inquit, „animus in hortis;“ eadem denique ratione Liv. X 20 „ne alibi quam in armis animum haberent“, et Phil. XII 22 „tres viae sunt ad Mutinam — quo festinat animus“ [2]). — neque respectum ullum quaerere: cfr Att. I 19, 6 „putavi mihi — firmiora praesidia esse quarenda“, et Phil. XII 25 „non sunt omnia timenda neque ad omnes insidias praesidia quaerenda“; est autem respectus genus quoddam praesidii a tergo positi, velut Phil. X 9 „(Graecia) tendit dexteram Italiae suumque ei praesidium pollicetur, quare qui ab illo (M. Bruto) abducit exercitum et respectum pulcherrimum et praesidium firmissimum adimit rei publicae“, ut respectus

[1]) Cfr ante p. 29 sq.

[2]) Quam ob rem nihil est quod Meyerus (p. 111) dubitet, quin «animum in acie esse» recte et latine dictum sit.

eadem ratione ac praesidium „quaeri“ dicatur. Cfr denique Phil. XI 26. — nisi me utilitas civitatis forte converterit: cfr fam. I 8, 2 „ut me pietas utilitasque cogit“ et V 8, 2 „quaedam pestes — me aliquando immutarunt tibi“ et cum ipsa sententia praeter locum ante (p. 30) allatum fam. I 9, 21 [1]). — maioris autem partis animi te Cassiumque respiciunt: exhibet hoc loco editio Cratandri „maiores partes animi“ eamque scripturam omnes adhuc retinuerunt; neque omnino desunt apud Ciceronem eiusmodi dicendi generis exempla, velut Att. III 7, 3 „ego et saepius ad te et plura scriberem, nisi mihi dolor meus cum omnes partes mentis tum maxime huius generis facultatem ademissent“ et simili quadam ratione ib. III 20, 2 „video intellegoque te multas partes meae salutis — suscipere“ et IV 18, 2 „miram securitatem videbis cuius plurimae mehercule partes sunt in tuo reditu“. Ego vero ut a tradita scriptura recederem, maxime ipsa sententia sum commotus; nam et parum sibi constare videtur, qui cum modo totum se ad bellum Mutinense gerendum intentum esse dixerit neque quicquam aliud respicere velle, quasi eodem spiritu maiorem animi sui partem M. Brutum Cassiumque respicere profiteatur, et si ad eundem utraque res referenda est, „autem“ illud perperam positum est, pro quo vel „tamen“ vel „neque eo minus“ dicendum erat. Quanto autem aptior correctione nostra sane lenissima evadat sententia, ex iis puto apparere quae ante (p. 30 sq.) exposuimus. Atque conferre licet Phil. VII 16 „tamen (periculum) offendit animos maioris partis hominum magis“. Nimirum hic quoque „hominum“ verbum audiendum est atque eo iustius auditur, quod Cicero hac eadem epistola (§ 1) modo scripserat se „maiori parti hominum“ non assentiri, ad quae, etiam quod ad rem pertinet, haec ipsa de quibus agimus referenda esse videntur. — quam ob rem ita te para

---

[1]) Meyerus (p. 111) pro «me» exspectari dicit «animum» vel «mentem», at propter «animum» quod antecedit et «animi» quod subsequitur idem verbum vel simile quiddam tertium positum iure reprehenderetur.

ut cet: fam. XI 7, 3 „quam ob rem ad omnia ita paratus, ita animatus debes esse, non ut —, sed ut —". — meliorem r. p. esse faciendam: Phil. II 90; VIII 17. — si quid offensum sit: fam. I 7, 5 „si aliquid esset offensum"; II 18, 3 „sin quid offenderit". — per te esse eandem recuperandam: cfr. ante (p. 31) et fam. XII 2, 3 „res tamen publica per vos brevi tempore ius suum reciperabit".

Epistola II 2.

Cicero Bruto Sal.

1. Planci animum in rem publicam egregium, legiones auxilia copias ex litteris eius, quarum exemplum tibi missum arbitror, perspicere potuisti: Lepidi tui necessarii, qui secundum fratrem affines habet quos oderit proximos, levitatem et inconstantiam animumque semper inimicum rei publicae iam credo tibi ex tuorum litteris esse perspectum. 2. Nos exspectatio sollicitat, quae est omnis iam in extremum adducta discrimen; est enim spes omnis in Bruto expediendo, de quo vehementer timebamus. 3. Ego hic cum homine furioso satis habeo negotii Servilio, quem tuli diutius, quam dignitas mea patiebatur, sed tuli rei publicae causa, ne darem perditis civibus hominem parum sanum illum quidem sed tamen nobilem, quo concurrerent; — quod faciunt nihilo minus, sed eum alienandum a re publica non putabam —: finem feci eius ferendi, coeperat enim esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret. In Planci vero causa exarsit incredibili dolore mecumque per biduum ita contendit et a me ita fractus est, ut eum in pertetuum modestiorem sperem fore. Atque in hac contentione ipsa cum maxime res ageretur a. d. V Idus Apriles litterae mihi in senatu redditae sunt a Lentulo nostro de Cassio, de legionibus, de Syria, quas statim cum recitavissem, cecidit Servilius, complures praeterea, — sunt enim insignes aliquot qui improbissime sentiunt —, sed acerbissime tulit Servilius

assensum esse mihi de Planco. Magnum illud monstrum in re publica est * * *

2. *expedienda* Crat. — 3. *in re p. est; sed quo* *** Wesenb. (cfr. ep. II 3, 5). Deerat in codice Cratandri huius epistolae pars extrema.

Quin haec epistola a. d. III Id. Apr. (d. 11 m. Apr.) data eademque sit cuius Cicero primis epistolae II 4 verbis mentionem facit, nemini, qui cognoverit quae hac de re Hermannus [1]) et Schmidtius [2]) monuerunt, iam dubium erit. Nam vix cogitandum est Ciceronem de contentionibus, quae sibi pro Planci dignitate fuissent (cfr § 3), prius ad M. Brutum ultro litteras misisse quam ad ipsum Plancum rescriberet. Qua vero epistola ad hunc de actis illis scripsit (ad fam. X 12), ea a. d. III Id. Apr. data est.

§ 1. Litteris publicis, quas Cicero primis epistolae verbis commemorat quaeque inter Ciceronis et Planci epistolas *mutuas* etiam nunc exstant (ad fam. X 8), Plancus non solum quinque legiones se habere praedicarat rei publicae coniunctissimas et eqvitatus auxiliorumque tantas copias quantas gentes provinciae suae conficere potuissent, sed etiam ipsum se ita esse animo paratum, ut vel provinciam tueri vel ire, quo res publica vocaret, vel tradere exercitum provinciamque vel omnem impetum belli in se convertere non recusaret [3]). Quae litterae quanto Ciceronem gaudio affecerint, ex epistola satis apparet, quam eodem die illi rescripsit, quo haec quoque de qua nunc agimus data est. Itaque gaudio illo elatus Brutum suum prima epistola participem eius facere volebat eoque magis, quod et idem Plancus et Lepidus non amplius undeviginti diebus ante pacis exstitissent cum Antonio faciendae auctores [4]). Exemplum autem litterarum illarum, cum hanc scribebat epistolam, missum iam esse Cicero suo iure

---

[1]) Zur Rechtf. II p. 28 sq.
[2]) l. c. p. 32.
[3]) Cfr ep. ad fam. X 8, 6.
[4]) Cfr ep. ad fam. X 6, 1.

putabat quod a. d. VII Id. Apr. (d. 7 m. Apr.) Romam pervenerant eodemque die in senatu recitatae erant [1]).

Quo autem laetior fuit Planci commutatio voluntatis, eo molestius tulit Cicero Lepidum, qui item in Gallia cum imperio esset et item priore illo tempore litteras pacificatorias ad senatum misisset, post id tempus nullam mutati consilii significationem fecisse. De quo antequam iudicium suum acerbius depromat, quasi excusandi causa eum secundum fratrem L. Aemilium Paulum affines suos i. e. ipsum M. Brutum et Cassium maxime odisse monet. Fratres inter se dissensisse iam ex iis apparet quae in epistolis ad Atticum XIV 7, 1 et 8, 1 significantur, atque odium eorum eo vel maxime indicatur, quod Paulus ex eorum erat numero qui paucis mensibus post hanc epistolam scriptam (pr. K. Quinct.) Lepidum hostem iudicarunt, atque ipse eodem anno a triumviris rei p. c. proscriptus cum ad M. Brutum effugisset, numquam Romam rediit [2]). Ab affinibus vero animum Lepidi alienum fuisse satis constat [3]). Tum quod Lepido levitatem et inconstantiam crimini dat, saepius haec vitia ei obiciuntur, velut fam. X 20, 1, 3; 21, 1; XI 9, 1; XII 8, 1; 10, 1, denique ad Brutum I 10, 2: „datumque Lepido tempus est, in quo levitatem eius saepe perspectam maioribus in malis experiremur“, quibus verbis hunc quoque locum respexisse videtur. Addit autem crimen „animi semper inimici rei publicae“, quod quidem ipsius animi acerbitate auctum esse videtur, neque tamen desunt similia iudicia, velut Cicero, quo tempore primum inter Caesarem et Pompeium bellum exarsit, ad Atticum (IX 9, 3) de Lepido scripserat: „iste omnium turpissimus et sordidissimus, qui consularia comitia a praetore ait haberi posse, est idem qui semper in re publica fuit“; neque vero post id tempus ita se gesserat Lepidus, ut ullo modo animos honorum mitigaret. Accedunt D. Bruti de eo et Planci iudicia in eandem plane sententiam facta (cfr ad fam. XI 9, 2 et X 23, 1).

---

1) ad fam. X 12, 2.

2) Cfr Drumann. I p. 9 sq. — Hermann. Zur Rechtf. II p. 15.

3) Velut ex ep. ad fam. XII 2, 2.

Cum autem in eo offendant homines docti, quod ad tempus quo data est haec epistola parum apta sint illa Lepidi crimina, quae tum demum cum proditio eius patefacta esset a Cicerone iure obici potuerint, paulo pluribus de tota re nobis agere liceat [1]).

Et Planci et Lepidi eadem erat condicio. Suam uterque Galliae ulterioris partem cum imperio obtinebat, magno uterque rei publicae praesidio esse magnum D. Bruto auxilium ferre poterat. At poterat uterque ad Mutinam rebus bene gestis optimum Antonio receptaculum praebere bellumque renovare. De utriusque in rem publicam animo iure dubitari poterat, quare uterque Ciceroni, quantum fieri posset, erat ad bonorum partes trahendus. Cum autem inter eos hoc interesset, quod alter consularis homo in re publica multum versatus magnaque auctoritate esset, alter minor natu nondum ad summos ascenderat honores neque multum auctoritate valebat, Cicero aliam ad utrumque ad rem publicam alliciendum ingressus est viam. Quanto maius a Lepido rei publicae periculum immineret, si cum Antonio fecisset, tanto maioribus in eo utendum esse incitamentis Cicero arbitratus iam priore anno exeunte „de eius honore extraordinario cotidie aliquid cogitabat“ [2]) atque Kal. Ian. honores quam amplissimos et inusitatissimos in senatu decrevit, [3]) eique assensus est senatus, nimirum quia „in excitando et acuendo plurimum valet, si laudes eum quem cohortere“ (fam. XV 21, 4). Planci vero animum litteris dandis rei publicae conciliare studebat. Quorum in litteris mutuis iis quoque, quae ineunte anno a. u. c. 711 (a. 43) a Cicerone acceptae scriptaeve sunt, nonnulla exstant quae ad hanc de qua agimus Lepidi causam pertinere videantur.

---

[1]) Tunstalli et Marklandi criminationes praeclare refutavit Hermannus (Zur Rechtf. II p. 12 sqq.). — In Marklandum cfr etiam Cobet. l. c. p. 265 sqq. — Postquam autem Meyerus easdem illas criminationes repetiit (l. c. p. 12 sq.), etsi, quantum video, nihil prorsus novi protulit aut quod Hermannus non satis iam refellisset, tamen nonnulla ei videntur respondenda.

[2]) Cfr Phil. III. 23.

[3]) Phil. V 38 sqq.

Iam prima Plancus epistola (ad fam. X 4, 4) [1]) sic scribit: „sum in exspectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe mense Ianuario geratur. Interim maximam hic sollicitudinem curamque sustineo, ne inter aliena vitia hae gentes nostra mala suam putent occasionem". Cum citeriorem Galliam diserte ab ulteriore seiungat, ubi ipse versabatur, sequitur „aliena vitia" illa ad ulteriorem pertinere, quod verbis „hic" et „hae" confirmatur. Quare quaerentibus nobis cuius tandem vitia Plancum tanta sollicitudine curaque affecerint, vix licebit de alio ullo nisi de Lepido cogitare. Et hoc quodam modo eo confirmatur, quod idem Plancus in epistola posteriore tempore scripta (ad fam. X 21, 1) paene iisdem verbis usus iam aperte Lepidum significat; sunt enim prima eius epistolae verba haec: „puderet me inconstantiae mearum litterarum, si non haec ex aliena levitate penderent. Omnia feci qua re Lepido coniuncto ad rem publicam defendundam minore sollicitudine vestra perditis resisterem" e. q. s. Scripserat Plancus se in exspectatione esse, quid in urbe mense Ianuario gereretur. Unde cum alia tum exquisitos et singulares honores eidem Lepido decretos esse comperit, cuius consilia improba et novit et Ciceroni indicaverat. Ipse vero quam gloriae fuerit appetens, quam omnia quae gessit ad hoc unum rettulerit, epistolae ipsius satis docent, quare quantopere honores illi extraordinarii Lepido immerito tributi animum eius laeserint et facile est conicere neque ipse quidem poterat dissimulare [2]). Atque hoc Ciceronem non fugisse inde colligere licet, quod in epistola (X 5), qua ad omnia quae Plancus quarta illa scripserat accurate rescribit [3]), nihil ad ea respondet quae ille sollicitudinem curamque attulisse dixerat. Plancus autem ad hanc Ciceronis epistolam omnino non rescripsit: immo consiliis cum Lepido

[1]) Quam Cicero extremo mense Ianuario aut postea accepit. Cfr Nake: De Ciceronis et Planci epistulis. Progr. Gymn. Berol. 1866 p. 8 extr.

[2]) Cfr Planci epp. fam. X 7, 2 et 8, 2 Ciceronisque responsum 12, 5.

[3]) Cfr Nake. l. c. p. 23.

communicatis una cum eo publicas litteras misit pacem commendantes, quibus Romae cognitis Cicero et Phil. XIII habuit et ad utrumque litteras misit (ad fam. X 6 et 27).

Quantum ex his Lepidi litteris dolorem ceperit Cicero, sane non difficile est iudicare. Postquam rei publicae temporum causa ac praeter animi sententiam eo adductus est, ut auctor exsisteret honoris quam amplissimi Lepido decernendi, quo de honore ipse (Phil. V 41) „nec vero", inquit, „cuiquam possumus commemorare hunc honorem a senatu tributum iudicio senatus soluto et libero", Lepidus non solum honorem illum tantopere contempsit, ut ne gratias quidem senatui ageret, sed etiam duobus vel tribus mensibus post ad pacem adhortatus Antonii egit causam. Praeclare de hac re Hermannus iudicat, cum sic dicit [1]: „wenn er (Lepidus) diese (Lobeserhebungen und Belohnungen) nun wiederum kaum ein Vierteljahr später durch seine Verwendung für Antonius dergestalt täuschte, dass er Ciceros Gegnern im Senate die gefährlichsten Waffen in die Hand gab, so kann es uns wahrlich nicht Wunder nehmen, wenn Cicero in der gereizten Stimmung und Spannung, in welche ihn die Bedrängniss des Augenblicks versetzt, schon damals von der Nichtswürdigkeit und Unzuverlässigkeit des Mannes spricht, die freilich später noch in viel grellerem Lichte hervortreten sollte". — At hic dixerit quispiam nihil tale in oratione Phil. XIII inveniri, immo Ciceronem dicere optimam de Lepido se spem habere (§ 8). Stultitiae vero est ex oratione publice habita sensuum mentionem intimorum quaerere hominis tantum praesertim in re publica versati atque per omnem fere aetatem dissimulatione assueti, cum ex eius cui sit iratus in rem publicam animo libertas huius pendeat. Neque eo minus quid re vera de Lepido cogitaverit Cicero, ex ipsa hac oratione perlucet, modo verba eius recte interpretemur [2]). Liceat prae ceteris haec afferre (§§ 13—15) quae ne interpretatione quidem indigeant: „atque etiam hoc M. Lepido providendum est,

[1]) l. c. p. 15.
[2]) Qua de re cfr Cobet. l. c. p. 266 sq.

ne quid arrogantius quam eius mores ferunt facere videatur. Si enim nos exercitu terret, non meminit illum exercitum senatus populique Romani atque universae rei publicae esse, non suum. — — — Tibi enim exercitum, Lepide, tam quam maioribus tuis patria pro se dedit: hoc tu arcebis hostem, fines imperii propagabis, senatui populoque Romano parebis, si quam ad aliam rem te forte traduxerit. — Sin hominibus tantum licere iudicas quantum possunt, vide ne alienis exemplis eisque recentibus uti quam et antiquis et domesticis malle videare". — Denuntiatio prorsus haec est Lepido proposita, non optimae de eo spei praedicatio. Atque in eandem sententiam litterae scriptae sunt, quas Cicero veritus, opinor, ne iram non satis reprimeret, quam brevissimas eodem die quo oratio illa habita est ad Lepidum misit [1]). In iis quoque cavendum erat, ne animus levissimi hominis offenderetur, penes quem tunc temporis magna ex parte salus rei publicae esse videretur. Tamen in his rei mentio fit, cuius Cicero, ut ante monuimus, summo dolore meminerit, quam vero in oratione reticeret necesse erat, honorum dico a Lepido spretorum, de quibus „moleste", inquit, „tuli te senatui gratias non egisse, cum esses ab eo ordine ornatus summis honoribus". Eorum quae de pace scribit haec afferantur: „— sapientius meo quidem iudicio facies, si te in istam pacificationem non interpones, quae neque senatui neque populo neque cuiquam bono probatur. Sed haec audies ex aliis aut certior fies litteris". Quorum litteras Cicero intellegit? Fortasse aliorum; potissimum autem Lepidi necessariorum qui Romae erant iidemque Bruti erant necessarii.

Eodem autem illo die Cicero etiam ad Plancum litteras dedit, in quibus postquam de pace litterae vel Lepidi vel illius quam in partem acceptae essent ex fratre suo et ex Furnio, qui tunc Romae erant, illum cogniturum scripsit, paulo post haec addit: „seiunge te quaeso aliquando ab iis cum quibus te non tuum iudicium sed temporum vincla coniunxerunt. Complures in perturbatione rei publicae consulares dicti, quorum nemo consularis habitus est nisi qui

---

[1]) Ep. ad fam. X 27.

animo exstitit in rem publicam consulari. Talem igitur te esse oportet, qui primum te ab impiorum civium tui dissimillimorum societate seiungas, deinde te senatui bonisque omnibus auctorem principem ducem praebeas, postremo pacem esse iudices non in armis positis sed in abiecto armorum et servitutis metu" e. q. s. Num poterat de Lepido severius scribere? Nam quae, cum ei cavendum fuerit, ne in illius manus epistola incideret, tecte atque in universum scribit, quin ad Lepidum spectent quis dubitat? Quod iis quoque confirmatur quae in alteris Planci litteris publicis (ad fam. X 8) exstant, quibus se purgare studet totumque a re publica stare praedicat, quae litterae a. d. VII Id. Apr. (d. 7 m.. Apr.) Romam perlatae sunt. Sic enim scribit: „eliciendae etiam voluntates reliquorum, qui finitimis provinciis exercitibusque praefuerunt, ut potius cum pluribus societatem defendendae libertatis iniremus —. Muniendi vero nosmet ipsi fuimus —, ut, cum praeferremus sensus aperte, tum etiam invitis quibusdam sciri quid defensuri essemus non esset periculosum. Ita numquam diffitebor multa me — et simulasse invitum et dissimulasse cum dolore, quod praematura denunciatio boni civis imparati quam periculosa esset ex casu collegae (D. Bruti) videbam". Quanto apertius iam his Lepidus inimici in rem publicam animi arguatur, nemo non videt.

Atque has quidem litteras Planci publicas Cicero respiciens, cum quarto die post quam pervenerant, quo die etiam ad Plancum rescripsit, hanc de qua agimus epistolam ad Brutum daret a Planci animo et belli apparatu laudando initium fecit. Cuius cum mentionem faceret, simul Lepidi in mentem ei venisse et quo maiorem ex consiliis illius in bonam partem commutatis exciperet laetitiam, eo maiore affectum esse dolore cum huius animum ingratum atque etiam infidum recordaretur, ex omnibus quae adhuc disputavimus consentaneum est. Quem dolorem cum temporum causa semper in pectore clausum habere coactus esset, quis mirabitur eum apud familiarissimum suum eundemque liberae rei publicae amicum omnium constantissimum tandem paulo acerbius exprompsisse,

cum praesertim pro certo habere posset, quam in partem boni de Lepido Romae sentirent, suorum litteris Brutum iam cognitum habere. Atque ut ea omittamus, quae Plancum bis iam de Lepidi fide indicasse modo monuimus, cum videamus Asinium Pollionem toto fere mense ante sic scripsisse (ad fam. X 31, 4): „unas enim post Idus Martias demum a Pansa litteras accepi, in quibus hortatur me, ut senatui scribam me et exercitum in potestate eius futurum, quod, cum Lepidus contionaretur atque omnibus scriberet se consentire cum Antonio, maxime contrarium fuit" e. q. s.; quindecim autem diebus post hanc de qua agitur epistolam datam Plancum aperte iam tamquam de re cognita ita scribere (ad fam. X 9, 3) ut dicat: „ipse, si ab Lepido non impediar, celeritate satis faciam, si autem itineri meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam"; denique D. Brutum item mense Aprili his verbis Ciceronem monere (ad fam. X 9, 1—2): „in primis rogo te, ad hominem ventosissimum Lepidum mittas, ne bellum nobis redintegrare possit Antonio sibi coniuncto —. Neque haec idcirco tibi scribo, quo te non eadem animadvertere sciam, sed quod mihi persuasissimum est Lepidum recte facturum numquam, si forte vobis id de hoc dubium est", — qui tandem existimare possumus ipsam Romam unum fuisse locum, ubi de Lepidi fide nihil iam homines suspicarenter, vel uni Ciceroni senatus tunc principi eum reprehendere non licuisse? [1]). Quae cum ita sint, iis, qui reprehensiones illas Lepidi ad tempus quo data est haec ad Brutum epistola parum aptas iudicant, minime equidem possum assentiri [2]).

---

[1]) Cfr Lehmann. l. c. p. 40. — Sane magis est quod miremur Lepidum ante quatuor dies quam Antonium receperit (fam. X 23, 2) D. Bruto videri commode sentire (XI 23, 1), atque Ciceronem octo diebus post illud factum Bruti verbis prorsus confidere (XI 24, 1).

[2]) Quod autem circ. Id. Iun. demum Cicero ad Cassium iisdem fere verbis de Lepido scribit (fam. XII 8, 1; cfr Meyer, l. c. p. 12 et 171), nullius momenti est; neque enim post illas Lepidi de pace litteras ulla exstat ante hanc modo allatam epistola ad Cassium data, et

§ 2. Cicero cum hanc epistolam dabat, suo iure iam scribere poterat D. Bruti fortunam causamque bonorum in extremum adductam esse discrimen et spem omnem timoremque rebus ad Mutinam iam iamque gerendis contineri, neque enim amplius quatuor post diebus proelium apud Forum Gallorum factum est [1]). Quid autem causae habuerit, cur tunc praesertim de Bruto „vehementer timeret", diiudicari non potest. Quantum autem falsi nuntii in illa omnium sollicitudine paucis etiam horis ante praeclaros victoriae nuntios efficere potuerint, ipse Phil. XIV 15 nos docet.

§ 3. Duae in hac epistolae parte quaestiones occurrunt, altera de Ciceronis cum Servilio contentione, altera de litteris Lentuli; quae etsi in epistola coniunctae sunt, nobis tamen separatim sunt tractandae.

Quae hic Cicero de contentione quadam narrat, quae sibi pro Planci dignitate in senatu fuerit cum P. Servilio, ita plane cum iis consentiunt quae de eadem re ad ipsum Plancum scribit (ad fam. X 12, 3-4), ut facile sentias non solum ab eodem homine sed etiam eodem prorsus tempore utramque epistolam esse scriptam. Quam accurate singula, quae ad ipsam contentionem pertineant, inter se conveniant, et Cobetus[2]) et Meyerus[3]) iam explicarunt; sunt autem in hac epistola quaedam addita, in illa desunt, quae quoniam huic viro docto ansam dederunt vituperationis, paucis explicanda videntur. Ad Plancum Cicero nihil de Servilio scribit, quod non ad ipsam contentionem pertineat, nisi hoc: „qui cum gratia effecisset, ut sua sententia prima pronuntiaretur", in hac vero de qua agimus epistola paulo plura de eo queritur: se cum homine furioso satis habere negotii, quem cum nimis iam diu rei publicae causa tulerit, ne perditis civibus

levitas inconstantiaque Lepidi, sicut ante vidimus, paene in proverbii consuetudinem venerat. Praeterea inter «scelus» Lepidi et «animum semper inimicum rei publicae» non minus interest quam inter eum qui causam bonorum iam prodidit et eum qui ab eadem se plerumque alienum praebuit.

[1]) Ep. ad fam. X 30, 1.

[2]) l. c. p. 294 sq.

[3]) l. c. p. 14.

hominem daret, quo concurrerent, — quod facere eos quidem nihilo minus, sed illum a re publica non alienandum se putasse —: finem igitur se tandem fecisse eius ferendi, quod tanta insolentia esse iam coepisset, ut neminem liberum duceret. Tum contentione illa se effecisse putat, ut is in perpetuum modestior futurus esset. De insolentia quidem Servilii, quod sciam, alibi nusquam mentio fit, sed leniores quasdam eum Ciceroni visum esse de Antonio eiusque asseculis dicere sententias Phil. XIV (§§ 7, 11, 23) indicatur[1]. Quod autem Cicero hic de discidiis factis, quae maxima tunc in senatu fuisse constat, nonnihil aperit, Plancum eadem cum plerumque tum in epistola modo allata quam maxime celat, hominis utriusque praeclare rationem habuisse videtur; erat enim Planci animus quovis modo confirmandus et excitandus, Bruto rerum urbanarum ratio accurate reddenda. Prorsus eodem consilio in epistola Planciana praeter Servilium unius P. Titii intercessoris mentio fit, in hac vero extrema haec adduntur: „(cecidit Servilius) complures praeterea — sunt enim insignes aliquot, qui improbissime sentiunt". De Lentuli demum litteris ad Plancum nihil esse scriptum adeo non est, quod miremur, ut si earum mentio facta esset, iure offenderemus, neque enim in tot (24) epistolis a Cicerone cum illo Caesaris amico communicatis uno vocabulo vel M. Bruti vel Cassii fit mentio[2].

De his litteris P. Lentuli quas commemorat Cicero, nisi quae hoc loco significantur, nihil traditum accepimus, atque continuo vituperatores harum epistolarum, alii velut Marklandus et Meyerus[3]) negarunt omnino fieri potuisse ut Lentulus hoc tempore ad Ciceronem litteras mitteret, alii velut Tunstallus et Schuetzius[4]) quae hic Cicero Lentulum scri-

[1]) Cfr etiam quae Cicero de senatu ad Cassium scribit fam. XII 4, 1.

[2]) Quare quae a Meyero hanc epistolam cum ep. ad fam. X 12 comparante tamquam additamenta falsarii inepta et ficticia vituperantur, ea ipsa hanc epistolam maxime fidem facere videntur ab ipso Cicerone esse scriptam.

[3]) l. c. p. 14 sq.

[4]) l. c. p. LVIII.

psisse indicet iis quae in ep. ad Br. I 5, 2 de Cassio scribat repugnare contenderunt[1]). Nobis vero in rem inquirentibus nihil occurrit, quod obstet quominus eiusmodi litterae a Lentulo missae eodem tempore, quo eas se accepisse Cicero scribat, ei perlatae sint. Exstat eiusdem Lentuli epistola (ad fam. XII 14) paene duobus mensibus post hanc de qua agitur ad Ciceronem data, cuius prima verba haec sunt: „Cum Brutum nostrum convenissem eumque tardius in Asiam venturum animadverterem, in Asiam redii, ut reliquias mei laboris colligerem et pecuniam quam primum Romam mitterem“. Quisquis haec integro animo ac libero legerit, ita scripta esse concedet, ut necesse sit is ad quem scripta sint conventum illum aut consilium saltem conveniendi cognitum habuerit. Quod autem Meyerus ita haec intellegi vult, ut dicat Lentulum, propterea tanta de Bruto usum esse brevitate, quod litteras suas publicas eodem die scriptas mentionemque Bruti ibi pluribus verbis factam respexisset, minime ei assentiri possum. Neque enim per se probabile est Lentulum, qui ipse quoque caedis Caesaris particeps fuisset, de consiliis cum Bruto communicatis ad Ciceronem scribentem hunc ad publicas quasdam litteras reiecisse. Et quae in alteris eius litteris de hac re exstant et ipsa perpauca sunt et eum in modum scripta, ut Ciceroni parum satisfacerent. Iam si Lentulo in hac re satis visum iudicarimus litterarum publicarum rationem habuisse, cur putabimus eum de Rhodiis, qui Ciceroni multo sane minus curae essent, hoc diserte monuisse (§ 3): „Rhodii, nos et rem publicam quam valde desperaverint, ex litteris quas publice misi cognosces?“ Consentaneum erat eum in primis Ciceroni illius quoque itineris rationem reddere, quo se patrono Romae usum esse eadem epistola satis docet. Quare recte mihi Hermannus statuisse videtur eum iam ante Ciceronem de itinere illo litteris certiorem fecisse.

---

[1]) Reprehensiones illas Hermannus quidem satis refutasse videtur (Zur Rechtf. II p. 17 sqq.); sed cum a Meyero redintegratae auctaeque sint, tota res, quamvis per se exigua sit, accuratius explicanda est.

Quae autem in extrema epistola Lentulus scribit (§ 8). „filium tuum, ad Brutum cum veni, videre non potui, ideo quod iam in hiberna cum equitibus erat profectus, sed medius fidius ea esse eum opinione et tua et ipsius et in primis mea causa gaudeo: fratris enim loco mihi est qui ex te natus teque dignus est“, cum Marklando probassent hanc epistolam primam esse a Lentulo ad Ciceronem post Brutum conventum missam, Hermannus fieri potuisse respondit, ut ille Ciceroni mentionem filii in prioribus litteris desideranti tunc demum haec rescriberet. At, si quid video, non ita haec scripta sunt, quasi quod ante neglexisset a Cicerone monitus sui excusandi causa hoc rescriberet: ne locus quidem in extrema epistola cum hac ratione congruit. Immo haec ultro scripsisse videtur et ceteris quae sui commendandi causa explicasset, ut animum Ciceronis studiosissimum ostenderet, subiecisse. Quod autem hac demum epistola Ciceronis filii mentionem facit, inde mihi colligendum esse videtur Lentulum priorem illam epistolam non post sed ante quam Brutum convenisset consilio vero Bruti conveniendi iam capto, cum primum laetos illos de Cassio nuntios accepisset, ex Asia ad Ciceronem misisse.

Alii in eo offenderunt, quod Cicero filius in „hiberna“ profectus esse dicitur, cum Lentulum vere iam procedente Brutum convenisse constet. Itaque Manutius et Wielandus de priore anno extremo cogitant, quo tempore illi Athenis convenerant; sed recte monet Meyerus ne uno quidem verbo haec ab illis discerni, quae in prima epistola de proximo Lentuli et Bruti conventu commemorantur. Ipse hic vir doctus in verbo quod est „hiberna“ loci nescio cuius latere nomen suspicatur[1]). Ego vero hoc verbum nullam habere difficultatem puto; nam „hibernorum“ verbo Lentulus hoc loco eodem iure utitur, quo ipse Cicero in epistola ad Atticum (IX 19, 1) pridie Kal. Apriles data, „delectus“, inquit, „habentur, in hiberna deducuntur“. Atque memoria tenendum est Brutum per totam fere hiemem militasse neque ante C. Antonium captum ullas

[1]) l. c. p. 49.

copias dimittere potuisse. Quem cum paulo post Nonas Martias cepisset[1]), tum demum exercitui aliquid quietis dare ei licuit. Denique cum his Lentuli verbis praeclare conspirant epp. ad Brutum I 4, 6 et I 6, 1[2]); nam Brutus, quo tempore has dabat litteras, postquam de victoria ad Mutinam parta comperit, exercitum in Chersonesum ducere statuerat atque Ciceronem filium equites Ambracia per Thessaliam ducere iusserat, ut ipsi in Macedonia occurreret: unde colligi potest hiberna illa, in quibus equitatui duo fere menses commorari licuit, ad Ambraciam fuisse. Iam vero ex iis quae modo disputavimus hoc efficitur Lentulum non ante medium mensem Martium et potius post hoc tempus Brutum convenisse. Atque, etsi de itinere eius nihil certi allatum est, tamen Aprili demum mense eum ad Brutum advenisse verisimile est[3]). Cum autem necesse sit epistola illa Lentuli a. d. V Id. Apr. (d. 9 m. Apr.) Ciceroni reddita ab illo mense Martio data sit[4]), ex his quoque idem concludendum est eam paulo ante, quam in Macedoniam proficisceretur Lentulus, ex Asia esse missam.

Ex iis quae a nobis adhuc disputata sunt id quidem elucet, quin Cicero a. d. V Id. Apr. epistolam a Lentulo acceperit, nihil esse quod dubitemus, — id quod in tali re satis est demonstrasse. Ac Lentulum ne quis miretur primum fuisse qui litteras de Cassio mitteret, monendum est eum cum ex iis, qui liberae rei publicae faverent, Trebonio occiso proximum Cassio fuisse finitimaeque provinciae praefuisse, tum, sicut ipse in epistola illa de se praedicat quam m. Iunio ad Ciceronem misit, Cassio in Syriam eunti multis rebus profuisse, neque dubitari potest, quin post id tempus in primis de Dolabella hoste communi consilia communicaverint.

---

[1]) Cfr. Schmidt. l. c. p. 30. — Drumann. vol. I p. 526.

[2]) Id iam Cobetus monuit l. c. p. 231.

[3]) Cfr. Drumann. II p. 129. — W. Wegehaupt. P. Cornelius Dolabella. Progr. Gymn. Gladbach. 1880 p. 17.

[4]) Nam plerumque litterae Dyrrhachio undecimo, Athenis uno et vicesimo, Epheso quinto et vicesimo die Romam perferebantur. Cfr Schmidt. l. c. p. 8 sqq.

Absolutis iam quae de rebus in hac epistola narratis explicanda videbantur, hoc unum addendum est epistolam ipsam mancam ac debilem, ita ut in media sententia praecisa sit, ad nos pervenisse[1]). Atque, quid in parte nunc amissa scripserit Cicero, ne coniectura quidem assequi possumus, cum nulla exstet epistola, ad quam haec rescripta sit.

Sequuntur quaedam in hac quoque epistola dicendi genera paucis vel explicanda vel confirmanda.

§ 1. Qui secundum fratrem affines habet quos oderit proximos: hoc dicendi genus his exemplis ex epistolis Ciceronis desumptis satis probari videtur: Q. fr. III 1, 18 „ille mihi secundum te et liberos nostros ita est, ut sit paene par"; ib. 24 „Gabinius — odio populi paene afflictus est: nihil illo turpius, proximus tamen est Piso"; fam. VI 12, 2 „Caesaris familiares — habeo implicatos consuetudine sic, ut, cum ab illo discesserint, me habeant proximum"; Att. I 1, 3 „observat L. Domitium maxime, me habet proximum"; ib. XII 15 „secundum te nihil est mihi amicius solitudine"; ib. 42, 1 „placet mihi res sic, ut secundum Othonem nihil magis"[2]).

§ 2. Nos exspectatio sollicitat, quae est omnis iam in extremum adducta discrimen: haec Meyerus postquam prave convertit („Die Erwartung — steht auf dem Spiel!"), inepte dicta iudicavit[3]); quae, ni fallor, sic sunt germanice vertenda: „die Erwartung — ist der Entscheidung nahe, bis auf den Entscheidungspunkt gebracht",

---

[1]) Qua de re cfr ep. II 3, 5.

[2]) Quod Zumptius (l. c. p. 41 adn.) monet non latine dici «proximum secundum aliquem» sed «p. ab aliquo esse», eodem iure moneri potest non «parem secundum aliquem» sed «p. alicui esse» latine dici, in quo peccavit Cicero loco illo allato (Q. fr. III 1, 18). — Contra Meyerum autem (l. c. p. 111 sq.) contendendum est «proximi» verbo locis illis allatis eandem omnibus subesse vim; nam quae Att. I 1, 3 scribit, nihil aliud sibi volunt nisi hoc: Satyrum se Domitio excepto maxime observare.

[3]) l. c. p. 171 adn. 2.

in quibus quid est quod offendat? — Cfr fam. X 10, 1 „me patria sollicitat in primisque, mi Plance, exspectatio consulatus tui, quae ita longa est, ut“ e. q. s.

§ 3. Quo concurrerent: Phil. V 29 de Antonio rei p. reconciliando „num umquam perditis civibus vexillum quo concurrant defuturum putatis?“ fam. XII 4, 1 „ad nos concurritur factique iam in re salutari populares sumus“. — coeperat enim esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret: de Antonio ad Plancum scripserat (fam. X 1, 1): „cuius tanta est non insolentia — nam id quidem volgare vitium est — sed immanitas, non modo ut vocem sed ne voltum quidem liberum possit ferre cuiusquam“. — ita — ita: fam. II 12, 1; XI 7, 3; Phil. XIII 6; Att. III 10, 2. — a me ita fractus est, ut eum in perpetuum modestiorem sperem fore: Att. II 1, 5 „fregi hominem“ (Clodium) et paulo post „hominem petulantem modestum reddo“; ib. V 2, 8 „sic cum eo (Metello) de re publica disputavi, ut sentiret sibi cum viro forti et constanti esse pugnandum“. — cecidit Servilius, complures praeterea: Att. I 16, 5 „fractus reus et una patroni omnes conciderunt“. — sunt enim insignes aliquot, qui improbissime sentiunt: fam. VI 12, 3 „mirifica est improbitas in quibusdam, qui tulissent acerbius veniam tibi dari“; ib. XII 5, 3 „reliqui (consulares) partim inertes, partim improbi“. Meyerus[1]) „insignis“ verbum hic recte positum esse negat, quod nihil additum sit, quod quam in partem intellegendum sit ostendat, velut Cicero ad Att. III 2, 1 „de insignibus ad laudem viris“ scribit et alio quodam loco „insignis ad deformitatem“; cfr tamen Phil. XI 10 „etenim Dolabella non ita multos secum habuit notos atque insignes latrones“. Mihi vero hic idem valere videtur ac „nobilis“, quo verbo Cicero paulo ante de eodem Servilio usus erat cfr. Q. Cic. de. petit. cons. § 12 „non erit difficile certamen cum iis competitoribus, qui nequaquam sunt tam genere insignes quam vitiis nobiles“: etiam [redacted]. de b. g. VIII 42, 4 Hirt.

[1]) l. c. p. 112.

„itaque quam quisque poterat maxime insignis, — telis hostium flammaeque se offerebat“ et Tac. hist. III 17 „consilio manu voce insignis, conspicuus suis“ conferri posse crediderim, modo pro „excelso loco“ vel pro „consilio“ cet. hoc loco „honore“ audiatur, quod ex ipsa sententia facile videtur apparere. — magnum illud monstrum in re publica est: Att. V16, 2 „audivimus — monstra quaedam“; ib. X 7, 3 „magnum hoc malum est„; de prov. cons. 2 „Gabinium et Pisonem duo rei publicae portenta“; in Verr. III 171.

Epistola II 3.

Brutus Ciceroni Sal.

1. Litteras tuas valde exspecto, quas scripsisti post nuntios nostrarum rerum et de morte Trebonii; non enim dubito, quin mihi consilium tuum explices. Indigno scelere et civem optimum amisimus et provinciae possessione pulsi sumus, quam recuperari facile est neque minus turpe aut flagitiosum erit post recuperari. 2. Antonius adhuc est nobiscum, sed medius fidius et moveor hominis precibus et timeo, ne illum aliquorum furor excipiat: plane aestuo. Quod si scirem quid tibi placeret, sine sollicitudine essem, id enim optimum esse persuasum esset mihi: quare quam primum fac me certiorem, quid tibi placeat. 3. Cassius noster Syriam, legiones Syriacas habet ultro quidem a Murco et a Marcio et ab exercitu ipso arcessitus. Ego scripsi ad Tertiam sororem et matrem, ne prius ederent hoc quod optime ac felicissime gessit Cassius, quam tuum consilium cognovissent tibique visum esset. 4. Legi orationes duas tuas, quarum altera Kal. Jan. usus es, altera de litteris meis, quae habita est abs te contra Calenum. Nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem: nescio animi an ingenii tui maior in his libellis laus contineatur; iam concedo, ut vel Philippici vocentur, quod tu quadam epistola iocans scripsisti. 5. Duabus rebus egemus, Cicero, pecunia et supplemento, quarum altera potest abs te expediri, ut aliqua pars militum istinc mittatur nobis vel secreto consilio adversus Pan-

sam vel actione in senatu; altera quo magis est necessaria, neque meo exercitui magis quam reliquorum, hoc magis doleo Asiam [sed quo] nos amisisse, quam sic vexari a Dolabella audio, ut iam non videatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonii. Vetus Antistius me tamen pecunia sublevavit. *(6.)* Cicero, filius tuus, sic mihi se probat industria patientia labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus numquam dimittere videatur cogitationem, cuius sit filius; quare quoniam efficere non possum, ut pluris facias eum, qui tibi est carissimus, illud tribue iudicio meo, ut tibi persuadeas non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiscatur honores paternos. Kalend. April. Dyrrhachio.

Ep. 3 Wesenb.: vulgo 5 et 3. — 5. *altera quo magis* conieci (vel *sed altera quo magis*): *altera quae magis* vulgo, *quae* del. Ernestius. — *reliquorum, hoc magis doleo Asiam* [III.] *nos amisisse . . . . Dyrrhachio. IV. Datis mane . . . . . non erit,* [V 5 extr.] *at in Asiam . . . . melius acturus.* [VI.] *Quod egere . . . . eum diligi* Wesenbergius (ex Sigonii transpositione): Cratander *sed quo nos amisisse . . . . . Dyrrhachio* cum ep. II coniunxit lacunae signo ante *sed quo* (ut nunc vulgo fit) posito; *III. Brutus Ciceroni Sal.* *** *sed quo nos amisisse . . . . Dyrrhachio. IV. Cicero . . . . erit. Id. April. V. Brutus . . . . doleo Asiam* ** *at in A. . . . . acturus. VI. Cicero . . . . diligi* vulgo. — *quam sic vexari* Wesenb.: *quem s. v.* vulgo.

Huic epistolae dies ipsi est appositus, neque quisquam vel de eo dubitavit, vel quin eadem sit, quam Cicero a. d. III. Id. Apr. se accepisse in ep. II 4, 1 scribat.

§ 1. Iam ante probare conati sumus hanc epistolam omnium primam esse a Bruto anno a. u. c. 711 ad Ciceronem missarum[1]). Iidem nobis persuasimus Brutum, antequam

[1]) Cfr p. 11 sqq.

hanc daret, Ciceronis epistolam primam hoc anno datam (II 1) iam accepisse[1]). Neque vero nisi litterarum commercio post duo vel tres menses interpositos modo redintegrato litteras Ciceronis „valde exspectasse" vel, „quin ille sibi consilium suum explicaret, non dubitasse" videtur[2]). Ad haec optime convenit, quod et Schmidtius[3]) et Meyerus[4]) iam statuerunt, nuntios suarum rerum Brutum eos intellegere, quos de C. Antonio capto Romam miserit; sunt enim post perlati, quam data est prima illa Ciceronis epistola. At de morte Trebonii iam tunc scribere poterat. Poterat quidem, sed in hac re ad ipsius verba (II 1, 3) reicimur haec: „acta quae sint quaeque agantur, scio perscribi ad te diligenter"; in actis enim illis ipsius quoque sententiae erant, quas paulo ante et de morte Trebonii et de Dolabella persequendo dixerat, quaeque oratione Phil. XI continentur. Atque Brutus cum c o n s i l i u m Ciceronis post nuntios illos rerum suarum et de morte Trebonii se desiderare scribit, nihil agit aliud nisi ut illum consulat, sitne sibi oppresso iam C. Antonio mors Trebonii ulciscenda et Dolabella bello persequendus. Hoc et iis confirmatur quae in hac epistola Brutus deinceps scribit et quae Cicero (ep. II 4, 3) ad haec ipsa rescribere videtur haec: „id si ita est (si Dolabella Asiam reliquit), istic tibi censeo commorandum, sin eam semel cepit, mihi crede, non erit, at in Asiam censeo persequendum: nihil mihi videris hoc tempore melius acturus". Nam quas se Brutus litteras Ciceronis exspectare scribit, eas quin tunc temporis nullas acceperit, nemo dubitabit, qui hanc epistolam cum ea, quam Cicero hac accepta mox rescripsit (II 4), paulo accuratius comparaverit.

Quae tum de amico socioque coniurationis crudelissime occiso quam paucissimis commemorat, praeclare et philosophum stoicum et civem vere Romanum decent. Quae vero

---

1) Cfr p. 32.

2) Cur autem de accepta illa epistola nihil scribat, loco modo allato (adn. 2) significavimus.

3) l. c. p. 30.

4) l. c. p. 15.

de Asia provincia recuperanda scribit, ni fallor, hoc sibi volunt: facilem quidem quolibet tempore esse Asiae recuperationem sed turpe et flagitiosum fore illud ipsum munus provinciae bello et cum exercitu recuperandae et rei publicae restituendae, cuius possessione boni cives indigno unius latronis scelere pulsi sint[1]).

§ 2. Non solum de Asia recuperanda sed etiam de C. Antonio dediticio suo quid faceret, Bruto ambiguum erat, quare etiam de hoc quid Ciceroni placeat, scire cupit. Quem liberalissime eum habuisse ex iis apparet quae scribit: Antonium etiamtum secum esse et se precibus eius moveri, quod quidem cum iis plane congruit, quae de eadem re Plutarchus[2]) Appianus[3]) Dio Cassius[4]) tradiderunt. Ab iisdem rerum scriptoribus id quoque confirmatur quod hic addit Brutus: se timere ne Antonium aliquorum furor excipiat[5]). Quantopere demum hic locus cum ceteris consentiat epistolarum Brutinarum locis in quibus C. Antonii mentio fit, post videbimus. (Cfr ep. II 5, 5.)

§ 3. Ad consilium illud Ciceronis de Asia recuperanda a Bruto desideratum ne hoc quidem minime pertinebat Cassium Syria legionibusque eius provinciae iam esse potitum, qui si ad Dolabellam opprimendum satis habebat copiarum, non opus fuit ex Macedonia eo deducere exercitum[6]). His autem quae de Cassio scribit Brutus eadem plane narrare

---

[1]) Quare hanc Meyeri miror interpretationem: «Der Verfasser will offenbar sagen: gerade weil es leicht sei diese Provinz zu gewinnen, so sei es schimpflich sie erst später (nicht jetzt sogleich) wieder zu gewinnen» (l. c. p. 140). Quod si id aegre tulisset Brutus Asiam non mox sed post aliquod tempus demum recuperari posse, neque «quam recuperari facile est» sed «q. r. f. erit» scribere debebat, et aliquid causae afferendum erat, quare id quod facile esset factu non mox perficeret. Illa quam protulimus sententia aperte exprimitur verbis «erit post» (illud facinus omnibus notum).

[2]) Brutus c. 26, 4.

[3]) De bell. civil. III 79.

[4]) XLVII 21 extr.

[5]) Quod eum non temere timuisse etiam ep. ad Br. I 2, 2 docet.

[6]) Cfr ep. huius libri 4, 2 et Phil. XI 26.

videtur, quae Ciceronem ex Lentuli litteris in priore epistola commemoratis iam cognovisse vidimus. Quae litterae quoniam a. d. V Id. Apr. Romam pervenerunt, Brutum Dyrrhachii undecim diebus ante, vel paulo antequam hanc scriberet epistolam, earundem rerum certiorem esse factum aptissimum est. Atque mihi quidem probabile videtur eundem illum Lentulum eodem utrique tempore epistolam misisse. Quod nescio an ea re quodam modo confirmetur, quod Brutus ad suos se scripsisse addit, ne prius Cassii res gestas ederent quam consilium Ciceronis cognovissent; nam ex his colligendum est Cassium de rebus suis liberae studiosis rei publicae laetissimis, Caesaris partibus minus iucundis secreto familiarissimos solos certiores facere voluisse, quorum Lentulum habuit proximum, cui nuntium tuto mitteret.

Quod autem Brutus hic Cassium ultro a Murco et a Marcio et ab exercitu ipso arcessitum esse scribit, plane cum iis congruit, quae in ipsius Cassii epistolis (ad fam. XII 11, 1 et 12, 3) exstant: „viri fortes (Murcus et Marcius) — exercitus mihi tradiderunt“ et „Bassus misere noluit mihi legionem tradere; quod nisi milites invito eo legatos ad me misissent, clausam Apameam tenuisset“ [1].

§ 4. De hac epistolae parte iam ante disputavimus [2], neque est quicquam, quod hoc loco addendum videatur, nisi familiarissimi sane esse et vitium amici aperte obicientis quae Brutus scribit: „nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem“. Atque avidiorem illum laudis animum Ciceroni et Atticum suum exprobrasse et ipsum eius conscium fuisse ex his apparet quae ad Atticum scribit (XV 7): „gratum quod mihi epistolas; quae quidem me delectarunt, in primis Sexti nostri. Dices ‚quia te laudat‘. Puto mehercule id quoque esse causae — “.

§ 5. Brutus hic et pecunia et supplemento se egere scribit, in quo viri docti propterea offenderunt, quod et magnas firmasque copias eum comparasse constet [3]) et privato

[1]) De Bruti litteris ad sororem et matrem missis cfr ep. II 4, 5.
[2]) Vide p. 14 sq.
[3]) Cfr ep. ad Brutum I 2, 1 et Phil, X 11.

consilio se pecunia sublevatum esse ipse scribat[1]). Sed et Hermannus iam rem explicavit[2]) et eo minus mirandum est Brutum hoc praesertim tempore rebus suis non satis confisum esse, quod paulo ante et de Asia et, si quid in Gallia offensum esset, de tota re publica recuperanda monitus erat, quare non poterat non ad summam et extremam pro re publica contentionem se parare. Quod autem Meyerus monet[3]) pecuniae inopiam potius in Decimum Brutum cadere, minime ei rei hic quidem locus repugnat, quoniam haec addit Brutus: „neque meo exercitui magis quam reliquorum“, quasi Ciceronem ultro excuset, si minus potuerit huic rei consulere. Neque enim ad unum Decimum Brutum sed etiam ad Cassium et Cornificium eadem res pertinebat[4]).

In primis vero in eo haeserunt viri docti, quod, ut „secreto consilio adversus Pansam“ milites sibi mittantur, Brutus suadet: negant enim fieri omnino potuisse, ut pauci senatores privato consilio rei publicae copiis uterentur. Accedit quod, ut adhuc quidem intellecta sunt haec Bruti verba, ea quae rescribit Cicero (ep. II 4, 4), cum ad singulas huius epistolae sententias quam accuratissime respondeant, ad haec omnino non accommodata sunt. Namque Brutus igitur aut secreto consilio insciente Pansa et invito aut actione in senatu milites ab Cicerone expediri voluit: Cicero nihil de se, nihil de senatu scribit, immo omnia ad unum Pansam et solum refert. Bruto ultro persuasum fuisse videtur Pansam nisi coactum nolle quicquam sibi tribuere: Cicero eum tamquam nescium non modo docet nihil auxiliorum eum a Pansa sperare debere, sed etiam tecte et caute, ut solebat, ei significat animo Pansae ei non nimis esse fidendum, utpote qui eius opibus non magis quam Cassii faveat. Brutus Ciceroni suadet, ut contra Pansam rem perficiat, Cicero nihil aliud agit, nisi ut animum Pansae ab opibus eius augendis aversum et alienum esse ostendat. Tantopere haec inter se

---

1) Cfr ep. ad Br. I 11, 1.
2) Zur Rechtf. II pp. 16 et 31.
3) l. c. p. 16.
4) Cfr ad fam. XII 12, 2; 28, 2; 30, 6.

discrepant ac sibi repugnant, ut Ciceronem ex Bruti epistola haudquaquam idem ac nos intellexisse existimandum sit. Quam ob rem hic locus aliqua difficultate laboret necesse est. Desideratur enim aliquid, quod indicet Brutum sperasse fore, ut Pansa probante, sive conscio, sive etiam adiuvante supplementum sibi mitteretur, cuius generis cum nihil occurrerit, quo vel paulo leniore manu adhibito hic locus emendari possit, verba Bruti ut exarata sunt ita scribenda esse statuerim, sed aliter atque adhuc esse explicanda. Videtur enim particula quae est „adversus" in vulgi sermone eadem ratione usurpata esse, atque elegantius „apud" de iis ponitur ad quos aliquid referatur, qua de re in oratione huius epistolae tractanda agemus. Qua significatione hoc loco recepta, ita ut „secreto consilio apud Pansam" vel „s. c. cum Pansa communicato" dicat Brutus, iam nihil est quod offendamus. Quis enim dubitat, quin consuli imperium habenti illis praesertim temporibus suo licuerit consilio et privato partem quandam exercitus sui alio ablegare?

Iam si nostram sequimur coniecturam, sic scribit Brutus, quo magis pecunia sibi necessaria sit, eo magis se dolere Asiam esse amissam, quam sic vexari a Dolabella audiat, ut iam non videatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonii. Quae Bruti querimonia eo iustior videtur, quod et Bruto et Cassio pecuniam ex Asia provincia suppeditatam esse constat[1]), id quod Asia a Dolabella direpta in posterum pariter fieri non poterat. Crudelissimas autem Dolabellae vexationes fuisse etiam alibi traditum est[2]), atque de rebus illis Asiaticis sine dubio Lentulus idem de quo ante disputavimus maxime fuit idoneus qui Brutum diligentissime doceret. Denique hanc rei pecuniariae quaestionem Brutus sic absolvit, ut addat Veterem Antistium[3]) se tamen pecunia sublevasse, tamquam ut et Ciceronem et se consoletur, etiamsi ille huic rei

[1]) Cfr Dio. Cass. XLVII 21, 26.

[2]) Phil. XI 6.

[3]) De Vetere cfr epp. ad Br. I 9, 11, 12. — Plut. Brut. 25. — Hermann. Zur Rechtf. II p. 65 sq. — Cobet. l. c. p. 236 — Meyer. l. c. p. 70 sqq.

minus consulere potuerit. Quae cum ita sint, tam arte haec omnia inter se cohaerent et tam apte singula se excipiunt, ut nemini iam dubium esse possit, quin epistola illa a priore parte manca, quae adhuc vulgo tertia inscripta est, re vera pars huius epistolae postrema sit habenda. Neque vero quisquam iam negat Hermannum in iis, quae de folio archetypi harum epistolarum transposito disputavit, rectissime egisse[1]).

Ut nunc sunt hae epistolae, eas dico quae vulgo secunda tertia quarta quinta sexta inscriptae sunt, mutilatae singulaeque uniuscuiusque partes perturbatae et disiectae, nimirum non iam ita possunt restitui, ut non aliquid tamen desideretur. Ac primum quidem deest extrema pars epistolae secundae. Quantum autem in illa parte fuerit verborum, difficile est diiudicare; neque enim ad Bruti epistolam rescripta est, neque ulla nobis exstat eius epistola, quae huic rescripta sit. Cum vero non sit dubitandum, quin eaedem epistolae, quae hodie hanc secundam subsequuntur, ab initio proxime ei additae sint, — id quod mox probare conabimur —, praeter hanc ipsam epistolae secundae partem extremam nihil eo loco amissum esse efficitur. Quam potuisse totum folium nunc amissum explere[2]) vix prorsus negari potest, neque tamen videtur credendum illam epistolam ceteras Ciceronis epistolas ad Brutum datas — una ep. I 15 excepta — longitudine superasse, praesertim cum Cicero eodem die epistolam ad Plancum (ad fam. X 12) exaraverit neque in ea quam proximo die ad Brutum dedit (II 4), cum hanc ipsam commemoret, quicquam de huius ubertate dicat. Accedit quod transpositum hoc folium (inde a verbis „sed quo nos amisisse . . . .“ usque ad verba „hoc magis doleo Asiam“) cum eo comparatum quo prima epistola et secunda, quatenus conservata est, continentur, etiamsi titulus toti libro praescriptus omittatur, paulo pauciores capit versus. Quam ob rem praeclare mihi Hermannus, homo sagacissimus, de hac re coniecisse videtur, qui folium transpositum a prima parte (suprema margine) vitiosum fuisse ponat, ita ut singuli vel

[1]) Zur Rechtf. II p. 27 sqq.

[2]) Id Wesenbergio placet, cfr eius ed. p. 647 adn.

bini versus aut pessum ierint aut depravati sint. Itaque et extrema verba epistolae secundae, quae hanc Bruti epistolam (vulgo quintam) in suprema pagina proxima antecedebant, nunc desunt, et hic de quo agitur locus, qui et ipse supremam paginam obtinebat, mendosus a Cratandro traditus est. Exhibet enim „sed quo nos amisisse, quem sic vexari" e. q. s. De illis quid iam sit faciendum non planum est, nam secundae epistolae agglutinare, quod fecit Wesenbergius, vix licebit, nisi Cratandro, qui lacunae signum ante „sed quo" posuit, fidem abrogare voluerimus. Quo autem loco exstant prorsus supervacaneum est quodlibet additamentum, cum his sublatis plena sit sententia. Hoc autem mendum quod est in vocabulo „quem", cum id ad Asiam sit referendum, Wesenbergium auctore Sigonio suo iure in „quam" emendasse iis epistolae quartae verbis, quibus Cicero ad haec respondet, „Dolabella Asiam vexare videtur", satis comprobatur.

Extrema pars huius epistolae in Cicerone filio laudando versatur, quae commendatio tam non de certa re habita videtur, ut non liceat nisi de prima illius mentione post longius aliquod temporis spatium a Bruto apud patrem facta cogitare. Qua re etiam confirmatur, quod aliis de causis nobis persuasimus, hanc primam esse epistolam a Bruto hoc anno ad Ciceronem datam; nam eum ad patrem ita scripsisse, ut nihil de filio commemoraret, quis credet? Cum hac sententia optime convenit, quod ea Bruti epistola in qua eum Plutarchus[1]) Ciceronem filium laudantem facit, quae haec de qua nunc agimus esse nequit, ad priorem annum pertinet[2]). Has Ciceronis filii laudes, quas quominus aliquid adulationis habere existimemus et moribus Bruti et publicis eius litteris[3]) impedimur, patrio animo tamen periucundas fuisse consentaneum est. Ad haec extremo epistolae loco scripta Cicero quoque extrema ep. 4 rescribit.

---

[1]) Brutus 24.

[2]) Cfr Meyer. l. c. p. 16 sq.

[3]) Cfr Phil. X 13 et ep. ad Br. II 5, 2.

Orationis huius epistolae explicandae alia ratio est atque earum quae a Cicerone sunt scriptae, nam exceptis perpaucis epistolis[1]) nulla Bruti exstant scripta, ex quibus de dicendi genere eius proprio quicquam certi constitui possit[2]). Nonnulla tamen in hac epistola insunt, quae paucis illustranda videantur.

§ 1. Valde exspecto: in ep. I 6, 2 idem Brutus scribit „rogo te et quidem valde rogo", quae eorum monent quae Caesarem de eo dicere solitum Cicero (Att. XIV 1, 2) affert: „magni refert hic quid velit, sed quidquid vult valde vult". — quas scripsisti: simpliciter sane breviterque de litteris exspectatis dictum; Cicero sine dubio „quas non dubito, quin scripseris" vel tale quid dixisset. — quam (provinciam) recuperari facile est: conferri possunt quae Pollio (fam. X 31, 6) de provinciis scribit „quae praesertim reciperari nullo negotio possint"; recte vero Meyerus monet apud „facile est" accusativum cum infinitivo pro solo infinitivo perraro poni.

§ 3. Syriam, legiones Syriacas — ad Tertiam sororem et matrem: facillime quidem altero loco addi potest „ac", altero alterum „ad"[3]), sed nescio an in Bruti epistola ex concinno usu Tulliano non recte addantur; neque quicquam obstat quominus hoc loco de una epistola et communi ad sororem et matrem missa cogitemus. — hoc quod — gessit Cassius: ex usu Tulliano pluralis desideratur numerus, velut ipse Cicero, cum ad haec respondet (II 4, 5), „ea quae gesta a Cassio essent" scribit.

§ 4. Quarum altera Kal. Jan. usus es, altera de litteris meis: dicit Meyerus[4]) vocabulum quod est „altera" posteriore loco positum tamquam μετέωρον a nullo verbo pen-

---

[1]) Praeter eas quae in his epistolarum libris sunt a Bruto scriptae (II 3; I 4, 6, 7, 11, 13, [16, 17]) duae solae exstant (fam. XI 2 et 3) a Bruto et Cassio datae, quo fragmenta accedunt sane exigua (ed. Bait. et Kays. vol. XI p. 45 sq.).

[2]) Cfr de hac re Meyer. l. c. p. 137 sqq.

[3]) Cfr Wesenberg. Emend. alterae p. 147.

[4]) l. c. p. 140.

dere, quod mihi non item videtur, cum nihil obstet quominus utendi verbum apud prius illud positum hic quoque audiatur, etsi eo ipso quod hic omissum est effici potuit, ut Brutus sic pergeret: „quae habita est“ cet. Quod licet minus concinne dictum sit, latinum tamen est, ut non sit quod miretur homo doctus neminem in hoc ante offendisse. — Nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem: in ep. I 6, 1 idem Brutus eodem usus dicendi genere sic scribit: „noli exspectare, dum tibi gratias agam“, atque ne a Ciceronis quidem usu id omnino abhorrere Madvigius docuit[1]), cuius rei unum addam exemplum (Att. I 1, 1) „de Palicano non puto te exspectare, dum scribam“. — Philippici: hanc formam (pro „Philippicae“ sc. orationes) Meyero[2]) assentior a „libellorum“ verbo pendere.

§ 5. Quarum altera potest abs te expediri — altera quae magis est necessaria: de hoc „altera“ altero loco posito iam prorsus valet illa Meyeri reprehensio, neque viri docti huic loco correctionibus mederi omiserunt[3]). Mihi vero earum nulla satis placet; aut paulo plura hoc loco exciderunt, quod in primis propter mira illa „sed quo“ (cfr paulo ante p. 65) suspicari licet, aut certe „quae“ in „quo“ mutandum videtur, qua correctione recepta planissima et aptissima, sicut ante (p. 63) demonstrare conati sumus, efficitur sententia. — secreto consilio adversus Pansam: ante (p. 62 sq.) statuimus particulae „adversus“ hoc loco eandem subesse vim qua saepius usurpatur „apud“. Qua de re Handius[4]) haec dicit: „quod autem dicunt (Nonius Donatus alii; vide ibidem) praeter hanc praesentiae notionem ‚adversus‘ idem esse quod ‚apud‘, id concedi non potest nisi addatur condicio haec, ut ponamus nihilo minus inesse rationem rei ad aliquem hominem referendae“: quod prorsus in hunc locum cadit. Iam de exemplis quae huc pertinere videntur nonnulla afferamus: Ter. Andr. I 1, 15 „et id gratum fuisse advorsum

---

[1]) Gramm. lat. § 360 adn. 1.

[2]) l. c. p. 16. — Cfr tamen Cobet. l. c. p. 296.

[3]) De quibus cfr Meyer. l. c. p. 140.

[4]) Tursellinus. I p. 181 sq.

te habeo gratiam"; Andr. I 5, 30 „sed nunc peropus est aut hunc cum ipsa aut de illa me advorsum hunc loqui"; Plaut. Pseud. I 5, 39 „orationem tibi para advorsum senem"; ep. Bruti I 16, 1 „unde negare servientis adversus regem istas esse preces"; ex Tullianis demum locis hi fere proxime accedere videntur: Att. V 21, 13 „meditare adversus Brutum causam meam" (cfr fam. V 10b „ad Caesarem meam causam agas"); fam. III 13, 2 „brevior est haec epistola et ut adversus magistrum morum modestior"; IX 22, 5 „te adversus me omnia audere gratum est"; de. Off. II 68 „utendum est excusatione adversus eos quos invitus offendas"; Phil. I 13 „ut me adversus populum Romanum — possem defendere". — interfectio Trebonii: Ascon. in Milon. p. 34, 16 „interfectio Clodii". — Vetus Antistius: inversi nominum ordinis exempla a Meyero congesta sunt (l. c. p. 141).

Epistola II 4.

Cicero Bruto Sal.

1. Datis mane a. d. *III* Id. April. Scaptio litteris eodem die tuas accepi Kal. April. Dyrrhachio datas vesperi. Itaque mane prid. Id. April., cum a Scaptio certior factus essem non esse eos profectos, quibus pridie dederam, et statim ire, hoc paululum exaravi ipsa in turba matutinae salutationis. 2. De Cassio laetor et rei publicae gratulor, mihi etiam, qui repugnante et irascente Pansa sententiam dixerim, ut Dolabellam bello Cassius persequeretur, et quidem audacter dicebam sine nostro senatus consulto iam illud eum bellum gerere: de te etiam dixi tum quae dicenda putavi. Haec ad te oratio perferetur, quoniam te video delectari Philippicis nostris. 3. Quod me de Antonio consulis, quoad Bruti exitum cognorimus, custodiendum puto. Ex iis litteris quas mihi misisti Dolabella Asiam vexare videtur et in ea se gerere taeterrime, compluribus autem scripsisti Dolabellam a Rhodiis esse exclusum, qui si ad Rhodum accessit, videtur mihi Asiam reliquisse. Id si ita est, istic tibi censeo commorandum; sin eam semel cepit, mihi crede, non erit, at in Asiam censeo persequendum: nihil mihi videris hoc tempore melius acturus. 4. Quod egere te duabus necessariis rebus scribis, supplemento et pecunia, difficile consilium est; non enim mihi occurrunt facultates, quibus uti te posse videam, praeter illas quas senatus decrevit, ut pecunias a civitatibus mutuas sumeres. De supplemento

autem non video, quid fieri possit; tantum enim abest, ut Pansa de exercitu suo aut delectu tibi aliquid tribuat, ut etiam moleste ferat tam multos ad te ire voluntarios, quomodo equidem credo, quod iis rebus quae in Italia decernuntur nullas copias nimis magnas esse arbitretur, quomodo autem multi suspicantur, *quod* ne te quidem nimis firmum esse velit, quod ego non suspicor. 5. Quod scribis te ad Tertiam sororem *et matrem* scripsisse, ut ne prius ederent ea quae gesta a Cassio essent, quam mihi visum esset, video te veritum esse id quod verendum fuit, ne animi partium Caesaris, *quoniam* etiam nunc partes appellantur, vehementer commoverentur. Sed antequam tuas litteras accepimus, audita res erat et pervulgata, tui etiam tabellarii ad multos familiares tuos litteras attulerant; quare neque supprimenda res erat, praesertim cum id fieri non posset, neque, si posset, non divulgandam potius quam occultandam putaremus. 6. De Cicerone meo et, si tantum est in eo quantum scribis, tantum scilicet quantum debeo gaudeo et, si quod amas eum, eo maiora facis, id ipsum incredibiliter gaudeo a te eum diligi.

Ep. 4 Wesenb.: vulgo 4 et 6. — 1. *a. d. III* Wesenb: *a. d. VI* Crat. vulgo. — 3. *ex iis: ex his* Crat. — *mihi crede, non erit* Crat. Wesenb.: *m. cr.* ** *non e.* vulgo, quod exciderit *tardandum* vel *cunctandum* vel tale aliquid (Wesenb.) — *non erit* Sigon. Vict. Lamb. Wesenb.: *non erit. Id. April.* Crat. vulgo. — 4. (6, 1 vulgo). *suspicantur, quod ne: quod* a Cratandro omissum. — 5. (6, 2). *sororem et matrem* nos ex Wesenbergii coniectura: *et matrem* vulgo omittitur. — *quoniam etiam nunc* nos cum Baitero ex Orellii coniectura: *quomodo e. n* Crat. vulgo. — 6. (6. 3). *quantum debeo: q. debet* Ernestius.

De huius quoque epistolae tempore satis constat, quoniam in prima epistola ipse scribit Cicero pridie Idus Apriles eam se exarasse.

§ 1. „A. d. VI Id. April." habet editio Cratandrina, sed hoc librariorum mendum ex proxima sententia tam apertum est et tam facile corrigitur, ut soli contemptioni ac despicientiae harum epistolarum tribuendum sit illam scripturam etiam nunc non modo in editionibus retineri[1]) sed etiam in computationibus pro documento a viris doctis adhiberi[2]). Itaque cum Cicero hic scribat se a. d. III Id. April. litteras ad Brutum dedisse, in secunda autem epistola tractanda iam viderimus eam epistolam eodem illo die datam esse[3]), sane nemini iam dubium esse debet, quin Cicero hic eandem secundam respiciat epistolam. Tum quam se a Bruto accepisse dicat epistolam huius libri tertiam esse, etiamsi diei, quo data esset, mentionem non faceret, tota haec de qua nunc agimus satis superque doceret, si quidem quam accuratissime est ad tertiam rescripta. „Vesperi" verbum vix monendo opus est de acceptis, non de datis epistolis esse intellegendum. (M.) Scaptii demum negotiantis cuiusdam Bruti familiaris in epistolis ad Atticum aliquotiens mentio fit[4]), cfr etiam ep. ad Brutum I 18, 1.

Cum iam exploratum sit verba (§ 3 extr.) „at in Asiam .... acturus", quae antehac ei epistolae affixae erant quae quinta inscribebatur, ad hanc epistolam pertinere, de ea re sola viri docti etiam nunc inter se dissentiunt, utrum epistola vulgo sexta inscripta cum hac quarta coniungenda sit, ut ex utraque una efficiatur[5]), an appendix quaedam habenda sit, quam Cicero aut eodem aut postero die exaratam quartae subiecerit[6]). Atque ex ipsis epistolis satis elucet alteram sic alteram supplere, ut ad suam utraque epistolae Brutinae partem, ad totam una ambae respondeant. Tum initio epi-

---

[1]) Cfr Baiteri editionem.

[2]) Id fecerunt Bardtius, Quaest. Tull. p. 22 eumque secutus Friedlaenderus, Sittengeschichte Roms II p. 18, in quos cfr Schmidt. l. c. p. 11.

[3]) Cfr ante p. 41.

[4]) V 21, 10 sqq.; VI 1, 5; 2, 7; 3, 5; XV 13, 4.

[5]) Hanc complexi sunt sententiam Sigonius Manutius (Zur Rechtf. II p. 28) Wesenbergius (in editione) Meyerus (l. c. p. 17).

[6]) Hoc Schmidtio placuit (l. c. p. 33.

stolae antehac sextae (in prima §to 4:a huius ep.) ne uno quidem verbulo indicatur inde integram epistolam aut appendicem incipere, quod ab usu Tulliano prorsus abhorret. Denique cum sexta illa epistola aut eodem die quo quarta aut tamen postridie mane sit data necesse sit[1]), iure quaeritur, quemadmodum Cicero appendicem illam ad Brutum perferendam curaverit; nam et eos tabellarios quibus prid. Id. mane quartam dedit statim ituros fuisse ipse scribit et, si de aliis tabellariis, qui eodem aut postero die ad Brutum ituri essent, cognovisset, minime probabile est eum „ipsa in turba matutinae salutationis“ epistolam incohatam et imperfectam exaraturum fuisse, cum paucis horis post plenam et perfectam posset mittere. Neque eo minus Schmidtius verbis hisce: „hoc paululum exaravi ipsa in turba matutinae salutationis“ adductus est, ut ex quarta et sexta unam componi posse epistolam negaret. Putat enim vir doctus epistolam ex his conglutinatam satis longam esse longioremque, quam ut ad eam verba illa referri queant. Quod quale sit, paulisper videamus. Atque occurrit nobis epistola ad Atticum data I 10, in qua (§ 1) Cicero haec scribit: „— puer — epistolam mihi — dedit nuntiavitque eo ipso die post meridiem iturum eum qui ad te proficisceretur: eo factum est, ut epistolae tuae rescriberem aliquid, brevitate temporis tam pauca cogerer scribere“. Qui locus profecto ad similitudinem huius de quo nunc agimus quam proxime accedit[2]). Intercedit autem etiam alia ex parte inter illam epistolam et hanc de qua agitur similitudo. Nam quamvis brevem esse illam ex verbis modo allatis conieceris, tamen „satis longa“ eodem fere iure atque haec dicenda est. Si (Wesenbergii usi exemplari) totam illam cum hac tota comparamus, hanc non amplius decem versiculis longiorem esse invenimus quam est illa. Propter hosne igitur decem versiculos aut cum Schmidtio illis implicabimur difficultatibus quarum modo

[1]) Cfr Schmidt. l. modo c.

[2]) Quare mirum est Meyerum eum in iis numerandis omisisse, quibus falsarium in hac epistola perscribenda usum esse dicat (l. c. p. 172).

monuimus, aut vero cum Meyero totam epistolam falsario cuidam adiudicabimus?[1]), — Nobis vero aliter videntur verba illa Ciceronis esse explicanda. Post longam tandem litterarum intermissionem Cicero primam a Bruto modo acceperat epistolam, in qua hic cum multarum rerum atque earum quidem maximi momenti fecerat mentionem, tum diserte illum rogaverat, ut sibi et consilium suum explicaret et rebus suis opem ferret. Ad haec cum quae rescriberet permulta haberet, potestatem mox rescribendi necopinato nactus noluit hanc omittere, licet pro gravissimis rebus maximeque necessariis a Bruto commemoratis unamquamque attingere solum paucisque perstringere cogeretur. Itaque si minus per se, at pro multitudine rerum et necessitate tamen „paululum" tantum rescribere sibi licere visum est Ciceroni. Atque in singulis tractandis satis apparebit ad unamquamque rem a Bruto commemoratam Ciceronem accurate quidem sed astrictius tamen et contortius rescribere, quam plerumque consuetudo eius fert.

§ 2. Primum Cicero ad ea respondet quae Brutus tertio suae epistolae loco de Cassio scripserat. Erat quidem res Ciceroni tribus diebus ante Lentuli litteris[2]) cognita, sed cum per se laetissima erat, tum ad Ciceronem propter ea

---

[1]) Plerumque Cicero in brevitate epistolarum suarum commemoranda haudquaqum eadem usus est diligentia quam ei rei tribui volunt nostrae aetatis critici. Cuius rei ut plura afferantur exempla, in prima ep. ad Att. XI 17 sic scribit: «Properantibus tabellariis alienis hanc epistolam dedi: eo brevior est, et quod eram missurus nostros». Tamen ea epistola eadem est longitudine qua illa cuius modo mentionem fecimus. Quae vero epistola (Att. I 16) sic incipit: «vereor ne putidum sit scribere ad te, quam sim occupatus, sed tamen ita distinebar, ut huic vix tantulae epistolae tempus habuerim atque id ereptum e summis occupationibus» — ea nihilo minus altero tanto quam haec de qua agitur longior est. Paene idem in epistolam ad fam. III 7 cadit, quamvis haec prima sint verba: «pluribus verbis ad te scribam, cum plus otii nactus ero. Haec scripsi subito — ». Denique in sequenti epistola (fam. III 8, 1) haec sunt: «faciendum mihi putavi. ut tuis litteris brevi responderem», sed ipsa epistola etiam duabus partibus uberior est quam haec, de qua nunc agimus.

[2]) Cfr ep. II 2 3.

maxime pertinebat, quod quam ipse sententiam de Cassio iam antea et in senatu [1]) et in contione [2]) dixisset, ea utris litteris praeclare comprobari videretur; quare non mirandum est eum primo loco huius rei meminisse.

Etiam ad singulas huius loci sententias et ex oratione Phil. XI circ. Non. Mart. habita et ex epistola ad Cassium (fam. XII 7) paulo post data similia afferre licet. Scribit hic Cicero: „de Cassio laetor et rei publicae gratulor"; ad Cassium: „alia malebam: favebam et rei publicae cui semper favi et dignitati ac gloriae tuae"; in oratione dicit (§ 28): „C. Cassius — nonne eo ex Italia consilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellam? qua lege? quo iure? Eo quod Iuppiter ipse sanxit, ut omnia, quae rei publicae salutaria essent, legitima et iusta haberentur", et (§ 35) „paratum habet imperatorem C. Cassium — res publica contra Dolabellam". Hic pergit: „mihi etiam qui repugnante et irascente Pansa sententiam dixerim, ut Dolabellam bello Cassius persequeretur"; in oratione cum alia, quae huc pertineant, tum haec dicit (§§ 29 —30): „censeo — senatui placere C. Cassium pro consule provinciam Syriam obtinere — cumque eis copiis — bello P. Dolabellam terra marique persequi", et haec (§ 36): „animadverti, patres conscripti, exaudivi etiam nimium a me Brutum ornari; Cassio vero sententia mea dominatum et principatum dari"; ad Cassium: „mea sententia in senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset". Hic: „et quidem audacter dicebam sine nostro senatus consulto iam illud eum bellum gerere"; ad Cassium: „promisi enim et prope confirmavi te non exspectasse nec exspectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more rem. publicam defensurum"; in oratione (§ 27): „nam et Brutus et Cassius multis iam in rebus ipse sibi senatus fuit. — Itaque si ad nos nihil

[1]) Cfr Phil. XI 26—36.

[2]) Cfr ep. ad fam. XII 7.

referretur de Dolabella persequendo, tamen ego pro decreto putarem, cum essent tales — viri."

Quae hoc loco Cicero deinceps paucis significat: „de te etiam dixi tum quae dicenda putavi", ad eandem orationem (§§ 26–27) referenda sunt, atque cum his artissime cohaerent quae in primi libri ad Brutum epistolis 2, 4 et 5, 1–2 Cicero de Dolabella a M. Bruto persequendo scribit. In illius enim epistolae verba haec (I 2, 4): „in quo (Dolabella) delector me ante providisse, ut tuum iudicium liberum esset cum Dolabella belli gerendi: id valde pertinuit, ut ego tum intellegebam, ad rem publicam, ut nunc iudico, ad dignitatem tuam", praeclare cadunt quae in Phil. XI exstant in primis haec: „quem (C. Antonium) si confecerit Brutus et intellexerit plus se rei publicae profuturum, si Dolabellam persequatur, quam si in Graecia maneat, aget ipse per sese" e. q. s. In altera autem epistola postquam eandem sententiam explicavit, haec addit (I 5, 1–2): „atque hoc mihi iam ante placuisse potes ex superioribus meis litteris recordari", quae et ad secundam eiusdem libri et aliqua ex parte ad hanc spectant epistolam.

Denique quo paucioribus rem absolvat, ad ipsam illam orationem iis quae subsequuntur Brutum reicit, quibus simul ad ea brevissime respondet, quae Brutus (§ 4) de Philippicis eius scripserat.

§ 3. Quae Cicero hic Bruto de Antonio consulenti maximeque, sicut vidimus (ep. II 3, 2), sollicito respondet, sine dubio item pauciora sunt, quam ut, nisi otio caruisset, his eum contentum futurum fuisse verisimile sit. Etiam hoc ei causae fuisse videtur, cur in seqventi epistola (II 5) tam multis de hac re ageret. Tunstalli vero crimen, qui hunc locum cum iis primi libri locis repugnare dicat, in quibus Cicero C. Antonium occidendum censeat[1]), Hermannus satis refutasse videtur, cum hoc monet: M. Antonio omnibusque qui eum secuti essent hostibus iudicatis Gai quoque Antonii rationem aliam esse fa-

[1]) epp. I 2, 5; 3, 3 et 4, cfr 4, 2.

ctam [1]). Quod praeterea homines docti in iis offenderunt quae de C. Antonio in his epistolis commemorantur, de iis post (ep. II 5, 5) disputabitur; hoc loco satis est monuisse Ciceronis de Antonio custodiendo consilium re vera Bruto optimum esse visum, quippe qui in epistola I 4 Id. Mai. data de Antonio haec rescribat (§ 2): „habuique in mea potestate quoad bellum fuit."

Iam ad ea transit Cicero, quae Brutus in epistola sua paene postrema de Asia a Dolabella vexata scripserat. Addit autem eum compluribus iam ante scripsisse Dolabellam a Rhodiis exclusum esse, ex quo hunc Asiam reliquisse concludit. Ciceronem tamen ipsum hunc nuntium in dubium vocare ex ipsius verbis elucet, cum sic scribit: „qui si ad Rhodum accessit" et mox: „id si ita est" et ad extremum hoc suadet: „nihil mihi videris hoc tempore melius acturus (quam ut Dolabellam in Asiam persequaris)." Ac totum quidem nuntium de Dolabella a Rhodiis excluso falsum fuisse ex Lentuli epistolis satis constat [2]). Quod autem Meyerus [3]) negat omnino fieri potuisse, ut Bruto eiusmodi rumor afferretur ab eoque Romam perferretur, nimis suo indulsisse videtur arbitrio. Nihil enim per se minus mirandum quam incertos rumores eosque saepe falsos in privatas irrepere litteras, id quod plane cotidianum est. Praecipue autem in bellis cum propter consilia clandestina omnia incerta ac trepida sint, minima animos terreant, dein augeantur explicenturque, rumores persaepe temere ortos percrebrescere profecto facile intellegitur. Licet ipsius Ciceronis epistolas testes producere. Permultis locis falsorum nuntiorum facit mentionem nec solum eorum, quos simul ipse falsos agnoverit, sed eorum quibus deceptus sit. Aptissima videntur esse exempla, quae ex proximo bello civili, quod Caesar cum Pompeio de principatu gessit, in epistolis ad Atticum datis exstant. In epistola ad Atticum (IX 11, 4) mense Martio anni a. u. c. 705 data Cicero de Pom-

---

[1]) Zur Rechtf. II p. 16.
[2]) Cfr epp. ad fam. XII 14, 2 et 15, 2 sq.
[3]) l. c. p. 18 et 22.

peio haec scribit: „nuntiant Aegyptum et Arabiam εὐδαίμονα [et Μεσοποταμίαν] cogitare, Hispaniam abiecisse. Monstra narrant, quae falsa esse possunt;“ idem in epistola 12, 1 eiusdem libri haec: „mihi epistola affertur a Lepta circumvallatum esse Pompeium, ratibus iam exitus portus teneri: non medius fidius prae lacrimis possum reliqua nec cogitare nec scribere. — Miseros nos! cur non omnes fatum illius una exsecuti sumus? Ecce autem a Matio et Trebatio eadem, quibus Minturnis obvii Caesaris tabellarii. Torqueor infelix, ut iam illum Mucianum exitum exoptem“; sed quatuor diebus post in ep. 13, 1: „οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος, ut opinor, ille de ratibus; quid enim est, quod Dolabella iis litteris, quas III Idus Martias a Brundisio dedit, hanc quasi εὐημερίαν Caesaris scriberet Pompeium in fuga esse eumque primo vento navigaturum? Quod valde discrepat ab iis epistolis, quarum exempla antea ad te misi. Hic quidem mera scelera loquuntur; sed non erat nec recentior auctor, nec huius quidem rei melior Dolabella.“ Hic dixerit quispiam: at instituerat Caesar exitus portus Brundisini impedire ac ratibus portum magnam partem iam cinxerat. Respondere autem licet etiam Dolabellam, teste Lentulo, classem ad oram Lyciae exadversum Rhodum iam collegisse, „Rhodios vero naves complures instructas et paratas in aqua habuisse“ — neque tamen eas classi Dolabellae adiunxisse, facile ut potuerit rumor ille de hoc ab illis excluso ab aliquo verae rei ignaro ad Brutum perferri. Ipsum Lentulum spes „vehementer fefellit“, cum sperasset fore, ut Rhodiorum „praesidio suam firmaret classem“, quare nihil obstat quominus illum quoque eodem rumore deceptum fuisse existimemus.

Sed ut ad exempla ex aliis Ciceronis epistolis desumpta redeamus, mense Aprili eiusdem anni ad Atticum scripsit (X 6, 3): „Pompeium pro certo habemus per Illyricum proficisci in Galliam“, atque ineunte mense Maio (X 9, 1): „etiam illud erat persuasum Pompeium cum magnis copiis iter in Germaniam per Illyricum fecisse, id enim αὐθεντικῶς nuntiabatur“ [1]). — Profecto si talia de Pompeio, in quo tamen tunc

[1]) Cfr etiam de Caesare ep. ad Att. XI 17, 3.

videretur cum rei publicae tum Ciceronis salus omnis esse posita, nec longius quam Hadriatico mari ab Italia disiuncto eodem perferri poterant, quis tandem in eo offendere potest, quod hoc altero bello civili, quo praesertim tempore omnium oculi in Galliam conversi essent, mira quaedam de Dolabella copiis egente ideoque despecto inde ex Asia afferebantur. Etiam ad hoc de quo agitur tempus pertinere videntur quae Cicero duobus mensibus post ad Cassium scribit (ad fam. XII 9,| 1): „tamquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos praeter rumeros —". Itaque et hic nuntius, quo Dolabella Asiam reliquisse ante tempus dicebatur, et is, quo Europam petere ferebatur, de quo Cicero ipse in epistola ad Brutum (I 2„ 1) sic scribit: „maxime mirabile Dolabellam quinque cohortes misisse in Chersonesum" e. q. s. — uterque in numero inanium rumorum habendus est illorum, qui temporibus bello vexatis semper oriuntur. Atque ut fieri potuit, ut Pompeius aut re vera in animo haberet exercitum in Galliam ducere [1]), aut falso illo nuntio Italiam inferiorem sibi aperire vellet, ita Dolabella inter Brutum et Cassium in medium coniectus aut incertum habere, utrius in provinciam invaderet, aut falsis rumoribus dilatis utrumque decipere velle poterat [2]).

Quod ad hunc locum attinet, ante monuimus Ciceronem de tota re videri dubitasse, ac ne Brutum quidem nuntio illi multum tribuisse inde apparet, quod nihil de eo, immo Asiam a Dolabella crudelissime vexari ad Ciceronem scribit, quod cum Lentuli litteris optime congruit. Quae si recte statuimus, quid in his: „qui si ad Rhodum accessit, videtur mihi Asiam reliquisse" mirum sit [3]) plane non video; nam si quis ex Asia profectus ad Rhodum accesserit idemque ab initio in Syriam tetenderit, nonne Asiam reliquisse videatur?

---

[1]) Cfr Mommsen. Röm. Gesch. III p. 399.

[2]) Ad hoc genus inanium rumorum etiam ea pertinent, quae ad Ciceronem et ad Brutum de D. Bruti eruptione (epp. ad Br. I 2, 2 et 4, 1 et ad fam. XI 14, 1) et ad hunc de Cicerone consule facto (I 4, 6 cfr Phil XIV 14—16) perlata erant.

[3]) Cfr Meyer. l. c. p. 18 et 22.

Alteram huius loci reprehendendi ansam Meyero dedit consilium Ciceronis quod verbis insequentibus continetur, quibus hic Bruto suadet, ut Dolabellam bello persequeretur, si hic Asiam occupasset. Hoc loco cum ceteris ubi de Dolabella persequendo agatur collato hoc effici illi viro docto videtur, Ciceronem de eo a Bruto persequendo numquam serio cogitasse, falsum ergo esse quod hoc loco tradatur [1]. Parum autem in hac re temporum videtur rationem habuisse, quorum minima quoque momenta quantum in belli vicissitudinibus valeant ad consilia et capienda et danda neminem fugit. Atque quod ex oratione Phil. X extrema (§ 26) haec de Bruto affert: „operamque det, ut cum suis copiis quam proxime Italiam sit", nihil ad rem de qua agitur pertinent. Nam nihildum de Trebonio occiso auditum erat neque de Dolabella aliud quicquam nisi eum in Syriam profectum esse, ut Cassio succederet [2]. Toti autem orationi illi nihil aliud erat propositum, nisi ut quae suo consilio gessisset Brutus ea senatus auctoritate confirmarentur, atque hic in quas invasisset provincias eas pro consule obtineret retineretque exercitum quem comparasset. Quod quo iustius fieret, hoc monuit Cicero maximo eum fore Italiae praesido. — Tum vero miseri illi perlati sunt nuntii Dolabellam in Asiam irrupisse Treboniumque per fraudem crudelissime occidisse. Quibus cognitis cum Dolabella hostis iudicatus esset, proximo die de bello cum eo gerendo decernendum erat. Quod bellum cum alii privato alicui, alii consulibus gerendum dare voluissent, Cicero nimirum veritus, ne utraque ratione de Bruto et Cassio aliquid copiarum et opium detraheretur, eam dixit sententiam, ut id imperium „aut ad M. Brutum aut ad C. Cassium aut ad utrumque" deferretur. Tamen quod Bruti copias Italiae subsidio esse voluissent, atque Antonius eum etiam tum retineret, ipsius iudicium esse voluit de Dolabella persequendo, si Antonio capto id quam in Graecia se manere plus rei publicae profuturum intellexisset. Cum autem de Cassio ea-

[1]) Cfr ll. modo cc.
[2]) Cfr ep. ad fam. XII 4, 2.

dem audiissent, quae de Bruto cognita haberent, „sua quoque auctoritate ea quae gessisset firmarent" atque senatus consultum facerent, ex quo Cassius pro consule Syriam obtineret, cum iis copiis quae ibi paratae essent quasque praeterea pararet, bello Dolabellam persequeretur eiusque belli gerendi causa imperium eius in omnibus provinciis Asiaticis maius esset quam alius cuiusquam [1]). — Itaque ut Phil. X Cicero id maximum egit, ut quae a Bruto gesta essent senatus auctoritate confirmarentur, ita Phil. XI eo in primis spectavit, ut summum totius Asiae imperium senatus consulto ad Cassium deferretur, cuius rei perficiendae bellum cum Dolabella gerendum optatissimam praebuit occasionem. Hoc etiam epistola quam Cicero paulo post hanc orationem habitam ad Cassium dedit (ad fam. XII 7) satis confirmatur. Id autem ipsum Pansae sine dubio nimis longe spectare videbatur, quoniam „vehementer obstitit", atque totum Dolabellae persequendi consilium in aliud tempus dilatum est.

Iam vero in medium fere temporis spatium inter orationem illam habitam et Bruti epistolam cui haec rescripta est eiusdem inciderunt litterae publicae de C. Antonio capto. Itaque sublata erat causa quae ante id tempus, ne Brutus in Asiam proficisceretur, in primis impedierat, cum interim a Cassio ipso nullae allatae essent litterae. Postremo Cicero Bruti epistolam accepit Kal. Apr. datam, in qua hic Asiae provinciae amissae bis ita facit mentionem, ut ipse se ad eam recuperandam offerre videatur, quaeque in prima epistola scribit: „non enim dubito, quin mihi consilium tuum explices", iis eum de hac ipsa re Ciceronem plane consulere et haec de quibus nunc agimus ad ea rescripta esse ante ostendimus [2]). Ab ipso igitur Bruto aperte lacessitus hoc ei consilium dat. Neque vero Cicero putandus est de exitu rerum, quae tum maxime in Gallia gerebantur, tantopere timuisse, ut praesidii causa Brutum in Illyrico retinere vellet, neque obliviscenda sunt quae in prima huius libri epistola scripse-

---

[1]) Cfr Phil. XI 17, 21, 26 - 30.

[2]) Cfr p. 59.

rat, et memoria tenendum, si in Gallia Antonius superior discessisset Dolabella incolumi opibusque eius interim corroboratis, futurum fuisse ut anceps rei publicae periculum impenderet.

Atque quae in posterioribus epistolis ad Brutum datis de hac re inveniuntur accurate cum hoc loco concinunt. Ex epistola I 5, 1 apparet quindecim diebus post hanc de qua agimus datam, victoria apud Forum Gallorum interim parta, senatus consultum de Dolabella persequendo plane in eandem sententiam esse factum, quam in Phil. XI iam dixerat Cicero. Ipse in eadem illa epistola, cum etiam de Mutinensi proelio certior esset factus, prorsus idem quod hoc loco Bruto suadet, cum sic scribit: „equidem sic sentio, si manum habet, si castra, si ubi consistat uspiam Dolabella ad fidem et ad dignitatem tuam pertinere eum persequi" e. q. s. et paulo post huius ipsius epistolae memor: „atque hoc mihi iam ante placuisse potes ex superioribus meis litteris recordari, quamquam tum et fugae portus erat in tuis castris et subsidium salutis in tuo exercitu, quo magis nunc liberati, ut spero, periculis in Dolabella opprimendo occupati esse debemus." Ad extremum tamen haec addit: „sed hoc cogitabis diligentius, statues sapienter". Itaque cum semper Bruti de ea re liberum iudicium esse voluisset neque tantum sibi sumpsisset, ut ex suo arbitrio quicquam ei certum et constitutum praescriberet, aliquanto post (ep. I 2, 2) sic scribit: „tuum consilium vehementer laudo, quod non prius exercitum Apollonia Dyrrhachioque movisti, quam de Antonii fuga audisti, Bruti eruptione, populi Romani victoria". Sed postea cum exeunte mense Maio timendum esset, ne M. Antonius a Lepido reciperetur et magis etiam postquam illi se coniunxerunt, Brutum in Italiam arcessere non desiit [1]).

§ 4. Brutum videbamus pecuniae penuriam cum nuntio de Asia amissa et a Dolabella vexata artissime coniungere (II 3, 5), quare Cicero quoque hic cogitationem a Do-

[1]) Cfr epp. ad Br. I (3, 2); 9, 3; 10, 1, 4, 5; 12, 2, 3; 14, 2; 15, 12; 18, 1, 2, 5; ad fam. XI 14, 2; 25, 2; XII 8, 1; 10, 4.

labella persequendo ad illam pecuniae quaestionem derivasse videtur. De pecunia autem Brutum ad id senatus consultum reicit, quod in Ciceronis sententiam in Phil. X nobis exstantem factum erat, quam orationem ipsam Bruto miserat. Sunt enim in illa oratione (§ 26) haec: „pecuniamque ad rem militarem, si qua opus sit, quae publica sit et exigi possit, utatur (Brutus) exigat pecuniasque a quibus videatur ad rem militarem mutuas sumat". Iisdem fere verbis ad Cornificium de pecunia consulentem Cicero eodem fere tempore scribit (ad fam. XII 28, 2): „tibi autem ex senatus consulto imperandum mutuumve sumendum censeo."

De iis quae Cicero deinceps de supplemento a Bruto desiderato rescribit in huius epistola tractanda iam disputavimus. Quod autem Pansam [1]) nihil ei copiarum tribuere velle scribit, non est quod miremur, cum quantopere Cassii quoque opibus augendis obstiterit sciamus. Atque hoc ipsum in animo videtur habuisse, cum sic scribit: „quomodo autem multi suspicantur quod ne te quidem nimis firmum esse velit". Nam quod addit: „quod ego non suspicor", insigne est εἰρωνείας illius exemplum, qua cavendi causa in epistolis saepissime utitur, velut in epistola ad Atticum data (I 16, 12): „consul autem ille deterioris histrionis similis suscepisse negotium dicitur et domi divisores habere, quod ego non credo" [2]).

§ 5. Ciceroni de Pansae animo Bruto invido quae multi suspicarentur narranti nimirum in mentem venit Brutum ipsum (II 3, 3) offensionem illarum partium vitari ideoque res Cassii gestas, quoad Ciceroni videretur, occultari voluisse. Itaque ad ea transit, quae ille ad sororem et matrem se scripsisse dixerat. Haec autem quae rescribit, cum iis quae vel ep. II 2, 3 ipse, vel ep. II 3, 3 Brutus scripserat Meyero visa sint repugnare [3]), hoc loco paucis sunt explicanda.

---

[1]) Cfr de Pansa tunc Roma absente quae in Tunstallum monuit Hermannus Zur Rechtf. II p. 30 sq.

[2]) Cfr de hac re praeclaram Hermanni disputationem l. c. p. 6 sqq.

[3]) l. c. p. 20 sq. et 173.

Ac primum quidem monendum est ipsum Ciceronem hoc idem Brutum arguere eum parum convenienter fecisse, quod suis scriberet, ne res Cassii gestas ederent, idem tabellarios suos ad multos de eadem re litteras afferre sineret. Quo crimine Brutum absolvere profecto nostrum non est. Ipsa verba tamen quibus utitur Cicero indicare videntur eum litteras non solum ab ipso Bruto sed etiam ab aliis, qui cum eo essent, scriptas significare, quod ni ita est, cur sic potissimum scripsit: „tui etiam tabellarii ad multos familiares tuos litteras attulerunt"? — Ille vero vir doctus quod in eo repugnantia sibi invenisse videtur, quod Cicero ex ep. II 2, 3 ipse res Cassii divulget, hoc loco Bruti tabellariis id crimini det, non recte videtur hunc locum interpretatus esse. Neque enim Cicero „tui enim tabellarii" cet. (id quod Meyerus desiderari ait) sed „tui etiam tabellarii" scribit. Omnino non cuius culpa factum sit ut res pervulgaretur, — quod quidem Brutus ex eadem illa ep. II 2, 3, quam iidem tabellarii ad eum perlaturi erant, cognoscere poterat —, sed solum id factum esse dicit, tum addit Brutum ipsum quodammodo participem esse rei divulgatae, quoniam eius tabellarii ad multos de ea litteras attulerint. Probabilius autem Meyero videtur litteras illas a tabellariis allatas iam aliquanto ante et datas esse et Roman pervenisse; quod si ita sit, Lentuli litteras tantum ponderis habere non potuisse, quantum iis tribuat Cicero. His iam Meyerus sibi ipse difficultates struxisse videtur, quod nihil in epistola vel Bruti vel hac inest, ex quo litteras illas priore quodam tempore allatas esse concludendum sit. Immo de Cassio tamquam de nova re et inaudita Brutus scribit, qui si antea eadem ad alios scripsisset, sine dubio „credo te iam audiisse" vel aliquid tale addidisset, praesertim cum etiam sororem et matrem de re vulganda Ciceronem consulere iuberet. Neque quae in eius epistola subsequuntur: „ego scripsi ad Tertiam" cet., ulla ex parte aptius de prioris temporis litteris, quam de eodem tempore datis interpretantur. Idem porsus in hunc cadit locum; nam qua de causa haec: „antequam tuas litteras (quas nisi litteras ad ipsum Ciceronem scriptas esse non posse vix opus

est monere) accepimus, audita res erat et pervulgata" — quare igitur haec non simpliciter de Lentuli litteris intellegere liceret, sane rationibus satis gravibus erat demonstrandum, quod omisit Meyerus. Quis est enim qui dubitet, quin ad tantam rem tamque exspectatam Romae pervulgandam duorum illud vel trium dierum spatium (inde a 9 usque ad 11 diem m. Apr.) suffecerit, praesertim cum Lentuli litterae statim in senatu recitatae essent? — Ciceroni vero totam rem non potius non divulgandam quam occultandam esse visam haud mirandum est, quod iam antea ex meris rumoribus tanta audacia et in senatu et ad populum Cassii egerat causam [1]).

§ 6. In hac sententia, qua Cicero ad laudem in extrema Bruti epistola filio suo cumulate tributam breviter respondet, nonne exquisitum illud et elegans dicendi genus vere Tullianum videaris agnoscere [2])? Tantum enim abest, ut in his: „tantum scilicet, quantum debeo" molesta sit iteratio [3]), ut elegantissime iis contineatur expressa patris cautio, ne laudibus filii nimis indulgeat. Atque et magis placet haec sententia quam quae efficietur, si cum Ernestio „debeo" in „debet" immutaverimus, et ipsum dicendi genus magis cum usu Ciceronis convenire videtur.

Singulis utriusque epistolae sententiis pertractatis non iam opus est demonstrare, quantopere omnia vel minima in hac Ciceronis epistola ad illam Bruti respondeant. Occurrunt autem in ceteris quoque epistolarum libris litterae quae haud minus accurate sibi respondeant, quarum ex numero afferantur binae D. Bruti totidemque Ciceronis, ad fam. XI 20–21 et 23–24.

Iam quae ad singula huius epistolae dicendi genera pertineant illustranda paucis persequamur.

---

[1]) Cfr ad fam. XII 7.
[2]) Cfr Cobet. l. c. p. 296.
[3]) Cfr Meyer. l. c. p. 113.

§ 1. Ad primae huius epistolae sententiae similitudinem proxime accedunt prima verba epistolae ad Att. VIII 5, 1: „quum ante lucem VIII Kal. litteras ad te de Dionysio dedissem, vesperi ad nos eodem die venit Dionysius“, et ad Att. XI 12, 1: „Cephalio mihi a te litteras reddidit a. d. VIII Id. Mart. vesperi, eo autem die mane tabellarios miseram quibus ad te dederam litteras“; sed saepius eundem fere in modum epistolae Ciceronis incipiunt. — non esse eos profectos, quibus pridie dederam: Att. IX 7, 1 „scripseram ad te epistolam, quam darem IIII Idus, sed eo die is cui dare volueram non est profectus; venit autem eo ipso die ille celeripes, — attulit uberrimas tuas litteras“. — hoc paululum exaravi: „exarandi“ verbum in epistolis Tullianis usitatum est, cfr exx. apud Meyerum p. 172. — ipsa in turba matutinae salutationis: cfr fam. IX 20, 3 „haec igitur est nunc vita nostra: mane salutamus domi —, ubi salutatio defluxit, litteris me involvo, aut scribo aut lego“ e. q. s.

§ 2. Repugnante et irascente Pansa: Att. I 14, 5 „cum decerneretur frequenti senatu, contra pugnante Pisone, ad pedes omnium singillatim accidente Clodio“; IV 18, 3 „contra dicente et nihil obtinente Torquato“; fam. XI 21, 2 „itaque excepti etiam estis me vehementer repugnante“. — de te etiam, cfr paulo ante mihi etiam: Handius Tursell. vol. II p. 547 „Locus“, inquit, „quem particula obtineat, per ipsius naturam non alius conceditur, nisi ante nomen rei quae additur et in coniunctis substantivis et adiectivis medius. Ubi vero in hoc nomen maius imponitur pondus aut oppositione adaugetur eius vis, invertitur ordo et ponitur etiam post suum nomen“. Cfr exx. ibidem et quae mox afferentur. — haec ad te oratio perferetur, quoniam te video delectari Philippicis nostris: cfr quae ad Atticum scribit II 1, 3 „oratiunculas autem et quas postulas et plures etiam mittam, quoniam quidem — te etiam delectant; fuit enim mihi commodom quod in eis orationibus quae Philippicae nominantur enituerat civis ille tuus Demosthenes“, et I 13, 5 „liber tibi mittetur; quoniam te amor nostri φιλορρήτορα reddidit“.

§ 3. Ex iis litteris quas mihi misisti: haec Meyerum iniuria reprehendisse Lehmannus monuit (Zeitschr. f. d. Gymn. W. XXXVIII Jhrg. Febr. März. 1884 p. 41). — qui si ad Rhodum accessit: fam. II 17, 1 „Rhodum Ciceronum causa puerorum accessurum puto". — istic tibi censeo commorandum, sin —, censeo persequendum: fam. X 25, 2 „id magnopere censeo persequendum. — sin autem satis factum rei publicae putas, celeriter ad comitia — veniendum censeo". — sin eam semel cepit: Att. I 19, 6 „ego autem ut semel — gloriam consecutus sum"; XIV 13, 6 „etenim ille quoniam semel induxit animum sibi licere". — mihi crede non erit: fam. X 25, 1 „nolo enim te ignorare, quantam laudem consecutus sis: mihi crede proximam Planco". — nihil mihi videris hoc tempore melius acturus: fam X 25, 1 „nihil videris melius neque laudabilius neque honestius facere posse".

§ 4. Non video, quid fieri possit: fam. XII 30, 6 „quid fieri posset, non videbamus".

§ 5. Tertiam sororem *et matrem:* „et matrem" ex Wesenbergii coniectura addenda videbantur, non solum ut repeterentur Bruti verba (ep. 3, 3), id quod in rescribendo plerumque observabatur, sed magis etiam propter ea quae sequuntur: „ut ne prius ederent". — animi partium: haec, quae viros doctos offenderunt, ad totius epistolae rationem paulo astrictius et magis ex cotidiano dicendi genere scripta esse videntur pro „animi hominum qui Caesaris partium sunt", eadem fere ratione qua Cicero in ep. ad Br. I 14, 2 „animi hominum infecti partibus" scribit, nisi etiam propius accedunt haec (Phil. VII 16): „animos maioris partis hominum"; id quod iam monuit Zumptius, qui nescio cur hunc locum potius „male" quam brevius expressum statuat. Cum autem „partium certamen" (Phil. XIII 47) „partium contentio" (Phil. V 32), denique „dissensio partium" (ibidem) aut etiam „partium sensus" (fam. VIII 14, 1) recte dicatur, cur non „animos partium" dicere liceat? — quoniam etiam nunc partes appellantur: hac Orellii coniectura recepta hic locus plane cum Phil. XIII 47 consentit; videtur enim

Cicero ideo haec addidisse, quod ipse „partium omnino nomen exstinctum iam esse“ volebat. — neque supprimenda res erat: sine dubio Meyero concedendum est „opprimendi“ verbum in huiusmodi sententiis magis esse Tullianum; sed in elegantiore quodam dicendi genere hoc, ni fallor, positum est discrimen, supprimendique verbum vulgaris sermonis magis est proprium, quo usu ductus Cicero et de voce et de oratione (Sull. 30, Or. 85) atque etiam de (animi) aegritudine (Tusc. III 75) hoc verbo utitur.

§ 6. De Cicerone meo — tantum scilicet quantum debeo gaudeo: Att. IV 1, 8 „De Lentulo scilicet sic fero, ut debeo“, et paulo post (§ 2): „ego vero — quo dolore esse debeo? quo sum scilicet“; Att. I 17, 1 „qua ex re et molestia sum tanta affectus, quantum mihi meus amor summus erga utrumque vestrum afferre debuit, et admiratione“; fam. II 9, 1 „primum tibi, ut debeo, gratulor laetorque cum praesenti“; Att. IV 1, 8; fam. XI 21, 1; de repetitis autem „tanti — quanti“ verbis cfr Phil. III 4 „cui quamquam gratia referri tanta non potest quanta debetur, habenda tamen est tanta, quantam maximam animi nostri capere possunt“ et Att. I 17, 2.

Epistola II 5.

Cicero Bruto Sal.

1. Quae litterae tuo nomine recitate sint Id. April. in senatu eodemque tempore Antonii, credo ad te scripsisse tuos, quorum ego nemini concedo; sed nihil necesse erat eadem omnes: illud necesse me ad te scribere, quid sentirem tota de constitutione huius belli et quo iudicio essem [quaque sententia]. Voluntas mea, Brute, de summa re publica semper eadem fuit quae tua, ratio quibusdam in rebus — non enim omnibus — paulo fortasse vehementior. Scis mihi semper placuisse non rege solum sed regno liberari rem publicam. Tu lenius, immortali omnino cum tua laude, sed quid melius fuerit, magno dolore sensimus, magno periculo sentimus. Recenti illo tempore tu omnia ad pacem, quae oratione confici non poterat, ego omnia ad libertatem, quae sine pace nulla est, pacem ipsam bello atque armis effici posse arbitrabar. Studia non deerant arma poscentium, quorum repressimus impetum ardoremque restinximus. 2. Itaque res in eum locum venerat, ut, nisi Caesari Octaviano deus quidam illam mentem dedisset, in potestatem perditissimi hominis et turpissimi M. Antonii veniendum fuerit, quocum vides hoc tempore ipso quod sit quantumque certamen: id profecto nullum esset, nisi tum conservatus esset Antonius. Sed haec omitto; res enim a te gesta memorabilis et paene caelestis repellit omnes reprehensiones,

quippe quae ne laude quidem satis idonea affici possit. Exstitisti nuper vultu severo; exercitum copias legiones idoneas per te brevi tempore comparasti: di immortales! qui ille nuntius, quae illae litterae, quae laetitia senatus, quae alacritas civitatis erat! Nihil umquam vidi tam omnium consensione laudatum. Erat exspectatio reliquiarum Antonii, quem equitatu legionibusque magna ex parte spoliaras. Ea quoque habuit exitum optabilem; nam tuae litterae, quae recitatae in senatu sunt, et imperatoris et militum virtutem et industriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod si tuis placuisset de his litteris referri et nisi in tempus turbulentissimum post discessum Pansae consulis incidissent, honos quoque iustus et debitus dis immortalibus decretus esset. 3. Ecce tibi Idib. April. advolat mane celer Pilus, qui vir, di boni, quam gravis, quam constans, quam bonarum in re publica partium! Hic epistolas affert duas, unam tuo nomine, alteram Antonii, dat Servilio tribuno plebis, ille Cornuto: recitantur in senatu. ANTONIUS PROCOS.: magna admiratio, ut si esset recitatum DOLABELLA IMPERATOR, a quo quidem venerant tabellarii, sed nemo Pili similis, qui proferre litteras auderet aut magistratibus reddere. Tuae recitantur breves illae quidem sed in Antonium admodum lenes: vehementer admiratus senatus; mihi autem non erat explicatum, quid agerem: falsas dicerem? quid si tu eas approbasses? confirmarem? non erat dignitatis tuae. 4. Itaque ille dies silentio. Postridie autem, cum sermo increbruisset Pilusque oculos vehementius hominum offendisset, natum omnino est principium a me. De proconsule Antonio multa: Sestius causae non defuit; post mecum,

quanto suum filium, quanto meum in periculo futurum duceret, si contra proconsulem arma tulissent, nosti hominem: causae non defuit. Dixerunt etiam alii. Labeo vero noster nec signum tuum in epistola, nec diem appositum, nec te scripsisse ad tuos, ut soleres: hoc cogere volebat falsas litteras esse et, si quaeris, probabat. 5. Nunc tuum est consilium, Brute, de toto genere belli. Video te lenitate delectari et eum putare fructum esse maximum, praeclare quidem, sed aliis rebus, aliis temporibus locus esse solet debetque clementiae. Nunc quid agitur, Brute? Templis deorum immortalium imminet hominum egentium et perditorum spes, nec quicquam aliud decernitur hoc bello, nisi utrum simus necne. Cui parcimus aut quid agimus? his ergo consulimus, quibus victoribus vestigium nostrum nullum relinquetur? nam quid interest inter Dolabellam et quemvis Antoniorum trium? quorum si cui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Haec ut ita sentiret senatus populusque Romanus, etsi res ipsa cogebat, tamen maxima ex parte nostro consilio atque auctoritate perfectum est. Tu si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquam meam: Neque dissolutum a te quicquam homines exspectant nec crudele: huius rei moderatio facilis est, ut in duces vehemens sis, in milites liberalis. 6. Ciceronem meum, mi Brute, velim quam plurimum tecum habeas: virtutis disciplinam meliorem reperiet nullam quam contemplationem atque imitationem tui. *XVI* Kalend. Maias.

Ep. 5: 6 Crat., 7 vulgo. — 1. *recitatae sint* vulgo: *rec. sunt* Crat. — *[quaque sententia]* uncis inclusi. — *confici non poterat* vulgo: *c. n poterant* Crat. — 2. *veniendum fuerit* vulgo: *v. fuit* Crat. — 4. *increbruisset* Lamb. Wesenb.: *increbuisset* Crat. Bait. — *duceret* vulgo: *diceret* Crat.

— 5. *nunc quid agitur* vulgo: *n. q. agatur* Crat. — 6. *XVI Kal. Maias* nos: *XIII K. M.* vulgo.

Quo rectius de hac tota epistola iudicemus, paulisper ad rationem priorum respiciamus. Atque prima huius libri epistola, quam Ciceronem post longius quoddam temporis spatium ad Brutum primam misisse persuasum habuimus, tota fere in condicione et statu universae rei publicae vel in „summa re publica", quae tunc temporis erat, explicanda versatur. Alteram paene mense post, nullis interim litteris a Bruto acceptis, scripsit, in qua, quoad etiam nunc exstat, de singulis quibusdam agit rebus, de quibus suam illi sententiam cognitam voluit. Ea vero epistola nondum perlata tum demum primam Bruti accepit epistolam permultis de rebus consilia sua desiderantis. Cui cum quominus pluribus responderet temporis angustiis tunc ipsum impediretur, paucis tantum singula perstringens rescripsit. Quae cum ita sint, sane non mirandum est eum plus otii nactum, cum praesertim gravissima ad Brutum scribendi causa accessisset, primam occasionem uberiores litteras mittendi totiusque rei publicae complectendae libenter arripuisse.

Dies quidem huic quoque epistolae appositus est, sed mendose traditus; „XVI Kalend. Maias" pro „XIII K. M." restituendum esse Schmidtius probavit [1]).

§ 1. Primis iam verbis Cicero satis aperte rem attingit, qua tamquam summa totius epistolae continetur. Iis autem quae sequuntur: „sed nihil necesse erat eadem omnes: illud necesse m e ad te scribere" cet. suo more [2]) hoc indicat existimare se, quae quoque tempore acta sint, non suum esse plane et simpliciter enarrare, sed omnino rerum temporumque condicionem complecti atque summa de re publica

---

[1]) l. c. p. 39 sq. Ac potest ad locos, quos eadem ratione emendandos enumeravit, addi ep. ad fam. X 15, 3, ubi pro »a. d. III Id. Maias» aut »a. d. VII» aut »a. d. VIII I. M.» scribendum esse Nakius demonstravit (De Planci et Ciceronis epistulis. Progr. p. 12 sq.).

[2]) Cfr Hermann. Zur Rechtf. II p. 22. Addi possunt plura exx. ut Att. IV 3. 1. Cfr etiam quae ad I 1, 8 disputavimus (p. 29).

consilia explicare, id quod pro ea qua erat in re publica dignitate et auctoritate maxime eo videtur dignum fuisse. Hoc praesertim de quo agitur tempore nullum epistolarum genus utrique aptius esse poterat quam quod illis verbis indicat Cicero.

Atque quod voluntatem suam de summa re publica semper eandem fuisse scribit quam Bruti, id quidem nullis propriis indiget testimoniis; quod vero rationem suam paulo addit vehementiorem fuisse, quo spectet proximis sententiis ipse explicat. Monet enim sibi semper placuisse „non rege solum sed regno liberari rem publicam", i. e. non Caesarem solum sed etiam regni eius heredem Antonium occidi, id quod in epistolis ad Atticum et ad Brutos et ad Cassium datis identidem monuit [1]); illum autem „lenius" sensisse; — atque constat quidem ex Caesaris interfectoribus nonnullos Antonium quoque et Lepidum occidere voluisse, sed M. Bruto auctore id consilium dimisisse [2]); — quid vero „melius fuisset, bonos cives „magno dolore sensisse, magno periculo sentire". Dolorem illum in primis epistolae ad Atticum datae, quae post Caesarem occisum proximae exstant, singulae fere delarant, ex quibus satis sit haec attulisse: „equidem doleo, quod numquam in ulla civitate accidit, non una cum libertate rem publicam recuperatam" (XIV 4, 1); „discrucior Sextilii fundum a verberone Curtilio possideri, quod cum dico, de toto genere dico: quid enim miserius quam ea nos tueri propter quae illum oderamus" (XIV 6, 1); „itane vero? hoc meus et tuus Brutus egit, ut Lanuvii esset, ut Trebonius itineribus deviis proficisceretur in provinciam, ut omnia facta scripta dicta promissa cogitata Caesaris plus valerent, quam si ipse viveret? — Haec et alia ferre non possum" (XIV 10, 1). — De „periculo" autem paulo post (§ 2 in.) apertius scribit.

Postquam rationem suam a Bruti abhorrentem, quod ad ipsam rem pertineret Idibus Martiis gestam, significavit,

---

[1]) Cfr exx. a Meyero congesta l. c. p. 174.

[2]) Cfr Lange. Röm. Alterth. III, p. 475.

ad proximum post Caesarem occisum tempus progressus sic pergit, ut dicat eo tempore Brutum omnia ad pacem, quae tamen oratione confici non posset, se vero ad libertatem omnia rettulisse, quae quidem sine pace nulla esset, sed pacem ipsam arbitratum esse bello atque armis effici posse. Brutum igitur illo tempore otii pacisque auctorem fuisse cum ex rerum historia constat, tum et ex epistolis Ciceronis eiusdem temporis quamvis cautius et obscurius scriptis [1]) et ex orationibus Philippicis apparet, velut in Phil. X (§ 14) sic dicit: „ab hoc igitur viro quisquam bellum timet, qui, antequam nos id coacti suscepimus, in pace iacere quam in bello vigilare maluit? — tantum autem aberat a bello, ut, cum cupiditate libertatis Italia arderet, defuerit civium studiis potius quam eos in armorum discrimen adduceret“ (cfr §§ 7, 8, 23 ibidem). Atque Cicero quam suam eodem tempore fuisse scribit de re publica gerenda sententiam, eam re vera fuisse permultis locis ipse declaravit, cuius generis sunt quae ad Atticum scribit haec: „— reliquae res opes et copias desiderant, quas nullas habemus“ (XIV 4, 2); „meministine me clamare illo ipso primo Capitolino die senatum in Capitolium a praetoribus oportere vocari? di immortales! quae tum opera effici potuerunt laetantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus! Liberalia tu accusas. Quid fieri tum potuit? — Iam pridem perieramus“ (XIV 10, 1); „illam sessionem Capitolinam mihi non placuisse tu testis es“ e. q. s. et „haec armis, quae quam firma habeamus ignoro, restitui fortasse possunt, auctoritate non possunt“ (XIV 14, 2 et 6); tum hoc de quo agitur tempore ad Cornificium (fam. XII 22, 1): „nos hic cum — Antonio bellum gerimus, sed non pari condicione, contra arma verbis“, et ad Plancum (fam. X 6, 3): „postremo pacem esse iudices non in armis positis sed in abiecto armorum et servitutis metu“; denique in prima oratione Phil. XIII: „a principio huius belli — timui, ne condicio insidiosa pacis libertatis recuperandae studia restingueret“ et paulo post (§ 2) „sed hoc primum videndum est, p. c., cum

[1]) Cfr permultas librorum XIV et XV ad Atticum datas.

omnibusne pax esse possit, an sit aliquod bellum inexpiabile, in quo pactio pacis lex sit servitutis". Cfr praeterea epp. ad fam. X 27; XII 2, 2; 3, 1.

Quod addit Cicero studia non defuisse arma poscentium, quorum ardorem esse restinctum, eo praeter locos iam allatos (ad Att. XIV 10, 1 et XV 11, 2; Phil. X 14) haec pertinent ad Atticum scripta: „exsultant laetitia in municipiis; dici enim non potest, quantopere gaudeant, ut ad me concurrant, ut audire cupiant mea verba de re p. Nec ulla interea decreta; sic enim πεπολιτεύμεθα, ut victos metueremus" (XIV 6, 2), et „nunc autem videmur habituri ducem (Dolabellam), quod unum municipia bonique desiderant" (XIV 20, 4).

§ 2. Cicero postquam, quantopere sua de re publica liberanda ratio et ipsis Idibus Martiis et proximo post illum diem tempore a Bruti ratione abhorruisset, hunc commonefecit, prima huius epistolae partis sententia quid huius effectum sit ratione docet: rem in eum locum deductam fuisse, ut, nisi Caesar Octavianus Antonio restitisset, in huius veniendum fuerit potestatem, quocum quanto tunc ipsum periculo dimicandum sit, ipsum videre, quod quidem certamen nullum esse, nisi illo die conservatus esset Antonius. Quae sententia his maxime locis illustratur: Phil. III 2–8, 38; IV 3–4 ubi prae ceteris haec dicit: „quis est enim qui hoc non intellegat, nisi Caesar exercitum paravisset, non sine exitio nostro futurum Antonii reditum fuisse"? V. 42–44 „venio ad C. Caesarem, p. c., qui nisi fuisset, quis nostrum esse potuisset"? e. q. s.; XIII 18–19 „quo tempore di ipsi immortales praesidium improvisum nec opinantibus nobis obtulerunt: Caesaris enim incredibilis ac divina virtus latronis impetus crudeles et furibundos retardavit"; ad fam. XII 25, 4 „puer enim egregius (Octavianus) praesidium sibi primum et nobis, deinde summae rei publicae comparavit, qui nisi fuisset, Antonii reditus a Brundisio pestis patriae fuisset".

Deinde sic pergit Cicero, ut scribat praeterita illa se omittere velle, quoniam rem a Bruto gestam non fas sit reprehendere, quippe quae ne laudari quidem satis possit. Ean-

dem porsus sententiam permultis exprimit locis, velut ad fam. X 28, 1; XII 2, 1; 3, 1; ad Att. XIV 4, 1–2; 11, 1; 12, 2; 13, 3, aliis praeterea, quorum ex numero satis est unum hic afferre (ad Att. XIV 14, 2–3), ubi haec sunt: „ita Brutum Cassiumque defendis, quasi eos ego reprehendam, quos satis laudare non possum. Rerum ego vitia collegi, non hominum; sublato enim tyranno tyrannida manere video. — Quid ergo? ista culpa Brutorum? minime illorum quidem sed aliorum brutorum, qui se cautos et sapientes putant, quibus satis fuit laetari, nonnullis etiam gratulari, nullis permanere. Sed praetarita omittamus, istos omni cura praesidioque tueamur et, quem ad modum tu praecipis, contenti Idibus Martiis simus, quae quidem nostris amicis, divinis viris, aditum ad caelum dederunt, libertatem populo Romano non dederunt" [1]).

Iam vero ad recentiora a Bruto gesta progressus Cicero scribit illum paulo ante vultu severo exstitisse, exercitum per se brevi tempore comparasse, qua de re quas litteras misisset, tanta iis laetitia senatum, alacritate civitatem esse affectam, ut nihil umquam viderit tam omnium consensione laudatum. Haec nimirum ad publicas Bruti referenda sunt litteras eas, quas primas de C. Antonio Apolloniae incluso ad senatum miserat, quibus a Pansa recitatis Phil. X a Cicerone habita est [2]). Cuius orationis huc maxime pertinent §§ 1–2, 11, 24–26. Etiam ad Cassium de eadem re Cicero sic scribit (fam. XII 5, 1): „Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus; res enim tantas gessit tamque inopinatas, ut eae cum per se gratae essent tum ornatiores propter celeritatem".

Tum hunc in modum pergit: exspectatum esse ut reli-

[1]) Num quis igitur Meyero (l. c. p. 22) concedet laudes quas hoc loco Bruto tribuit Cicero ulla ex parte iis repugnare quae in ep. I 10, 4 ad eundem scribit: »(rem publicam) quam virtute atque animi magnitudine magis quam eventu rerum liberavisti»?

[2]) Quod contra confusam Tunstalli vituperationem iam Schuetzius satis docuit (Ciceronis opera, vol. VIII pars III prol. p. LIX sqq.). — Cfr Meyer. l. c. p. 22 sq.; Hermann. Zur Rechtf. II. p. 29 sq.

quiae Antonii conficerentur, quem equitatu legionibusque magna ex parte spoliasset, et eam quoque rem ex sententia processisse; nam quae de ea litterae in senatu recitatae essent, eas et imperatoris et militum virtutem eorumque qui cum Bruto essent, in quibus Ciceronis filii, industriam declaravisse. Quod si de iis litteris necessariis illius placuisset referri et nisi in tempus turbulentissimum post discessum Pansae incidissent, futurum fuisse, ut honor quoque dis immortalibus decerneretur. — Quod Romae exspectationem fuisse reliquiarum Antonii scribit, id significat tempus quo habita est Phil. XI (cfr. § 26) [1]. Atque a Bruto iam ante id tempus illum magna ex parte copiis spoliatum esse Phil. X (§§ 12–13) confirmatur, ubi de militum prudentia agit Cicero, qui ad Brutum transierint, de legione, quae duce (Antonii legato) relicto Ciceroni se filio tradiderit, de Vatinio, qui Dyrrhachii portas Antonio clausas Bruto aperuerit exercitumque ei tradiderit, quare Antonius cum septem tantum cohortibus reliquis Apolloniae se tenere coactus sit. Iam vero illa quoque reliquiarum exspectatio exitum optabilem habuit, quod alteris Bruti publicis litteris de C. Antonio capto missis Romae cognitum est. Harum litterarum excepta hac de qua agimus epistola nusquam mentio fit, nisi quod in Phil. XIII ita de C. Antonio loquitur Cicero, ut, quo die haec habita sit oratio, eum captum esse Romae iam constitisse appareat. Nam epistolam quandam M. Antonii recitans sic dicit (§ 30): „‚Macedoniam munitis exercitibus‘. Et quidem fratri tuo, qui a vobis nihil degenerat, extorsimus“, et (§ 32): „‚Apuleiana pecunia Brutum subornastis‘. — Nec enim sine pecunia exercitum alere, nec sine exercitu fratrem tuum capere potuisset“. Itaque cum ex ep. ad fam. XII 25, 1 eluceat Pansam Quinquatribus (d. 19 m. Martii) Romae fuisse, atque is Phil. XIII, — quam a. d. XIII Kal. Apr. (d. 20 m. Martii) habitam esse ex ep. ad fam. X 6 eodem die data apparet —, diserte dicatur tunc Roma iam profectus esse (§§ 16, 23, 39), hoc vero loco Cicero litteras Bruti „in tempus turbulentissimum post disces-

[1]) Cfr Schuetz. l. c. p. LXI sq.

sum Pansae consulis incidisse" scribat, Schmidtius [1]) rectissime statuit alteras litteras Bruti publicas Pansa vix Roma profecto eodem pervenisse et ante Lepidi litteras in senatu recitatas esse. Quae Schmidtii ratiocinatio etiam eo confirmatur, quod Brutus in ea epistola, quam Kal. Apr. dedit (II 3, 1), Ciceronis litteras post nuntios suarum rerum (i. e. de C. Antonio capto) scriptas se exspectare ait, quod quidem facere poterat, si nuntii illi 12 vel 13 diebus ante Roman pervenerant [2]). Recte igitur haec omnia se habere videntur; sed nihilo minus Meyerus [3]) hanc temporis determinationem quae est „post discessum Pansae" falsam esse contendit. Quid? scilicet aliquid argumenti aut ex rerum memoria aut ex litteris protulit, quo, quae Schmidtii ratiocinationem secuti modo explicavimus, omnino non ita fieri potuisse probaret? Videamus.

Primum hoc dicit duas epistolas (ad fam. X 6 et 27) eodem die, quo illae Bruti litterae recitatae sint, a Cicerone datas et tertiam (ad fam. XII 25) aut eodem die aut paulo post missam exstare, ac ne in una quidem ullam tamen Bruti litterarum fieri mentionem. Haec quantum valeant paucis exponamus. Prima quam affert epistola ad Plancum scripta est, cui cum non minus 13 nobis exstent epistolae a Cicerone scriptae, nullam tamen nec M. Bruti, nec Cassii ac ne mortis quidem Trebonii mentionem fieri iam ante [4]) in simili re monuimus. Quare cum omnino de illis viris in Planci epistolis consulto tacuisse videatur, etiam maxime mirandum erat, si res Bruti felicissime gestas opesque eius necopinato auctas illi praedicasset. De altera vero epistola quae ad Lepidum est data hoc monendum est et brevissimam eam esse et totam in ipsius Lepidi litteris publicis eodem die recitatis versari, atque etiam de his eum a Cicerone ad aliorum litteras reici. Accedit quod uxor eius eademque Bruti soror

---

[1]) l. c. p. 29 sqq.
[2]) Cfr Schmidt. l. c. p. 11 sq.
[3]) l. c. p. 24 sqq., 30.
[4]) Cfr p. 50.

Romae versabatur, quare nihil profecto opus erat Ciceroni, ut erat maxime occupatus, eum de Bruti rebus gestis certiorem facere. Tertiam denique epistolam Cicero ad Cornificium dedit [1]. At in omnibus epistolis hoc tempore ad eum datis, quarum 9 exstant, necesse est Meyerus mentionem Bruti desideret, nec Marci solius sed Decimi Bruti Cassii Trebonii; de quibus nihil in his commemoratur, nisi quod in ep. XII 22, 2 (ex. m. Dec. prioris anni data) haec sunt: „nostrique tyrannoctoni longe gentium absunt". Quid quod etiam de Lepidi, de Planci litteris silet Cicero, quae eum tamen eodem tempore maxime conturbarint. Praeterea Cicero ut in aliis litteris ita in his saepius scribit, quae in re publica acta sint, vel ex actis publicis vel ex aliorum litteris se ei cui scribat cognita esse arbitrari.

Iam vero hoc monet Meyerus in ipsa Phil. XIII Ciceronem laetissimos illos de C. Antonio capto nuntios tam strictim frigideque commemorare, ut non eodem vel proximo die sed aliquanto ante eos pervenisse necesse sit putemus. Duos illos locos qui huc pertinent modo attulimus, quibus quidem ostenditur Ciceronem hos nuntios in recitationem litterarum M. Antonii, quam in altercationis modum instituerat, ita inseruisse, ut, nisi hae litterae ansam dedissent eos commemorandi, rem plane omissurus fuisse videatur. Atqui haec res quominus ad Meyeri sententiam confirmandam fidemque huius loci infringendam quicquam valeat, hic ipse locus impedit, — qui quidem per se fidem suam praeclare tueri videtur! Habet enim haec: „quod si tuis placuisset de his litteris referri", quae docent has litteras solum recitatas esse, neque ullas de iis sententias esse dictas; quod cum ipsius Bruti necessariis placuisse dicatur, quid tandem est, quod Ciceroni in oratione tum, cum de Lepidi litteris referretur, habita nihilo minus etiam de illis verba facienda fuisse arbi-

---

[1] Continetur autem epistolae ad fam. XII 25 §§ 1—2; nam totam hanc ex tribus, suo quaque tempore datis, conglutinatam esse Gruberus satis probavit. (De tempore atque serie epistolarum Ciceronis, Sundiae 1836, p. 33 sq.).

tremur [1])? Atque causa, cur de iis non relatum sit, similis videtur fuisse, ac de qua in epistolis ad Cassium XII 7, 1 et 12, 1 et ad Brutum II 3, 3 (cfr II 4, 5) traditum est. Itaque necessarios Bruti litteris eius allatis mox Ciceronem earum certiorem fecisse et de iis recitandis consilia cum eo communicasse (cfr etiam ep. ad Br. I 18, 1) verisimile est; quare non tum demum, cum Phil. XIII habebat, vehementem ex litteris Bruti laetitiam cepit, qua pro argumento Meyerus utitur. Quam laetitiam eo moderatius ferre poterat, quod non subita quadam re et inopinata sed exspectata minimeque dubia effecta est (cfr Phil. XI 26). Denique non praetermittendum est Ciceronem, qui modo Phil. XII maxima contentione vix effecisset, ne iterum de pace legati ad Antonium mitterentur, non potuisse non maxime conturbari summoque affici dolore, cum novi mox existerent pacis auctores Lepidus et Plancus, atque illi quidem eo graviores, quod magnis et firmis praeessent exercitibus. Non sane mirum est, eum tantis curis sollicitudinibusque affectum, — quod ipsum respiciens videtur „turbulentissimum" hoc tempus appellasse, — ad rem Bruti gestam iamdudum exspectatam minus animum attendisse [2]).

Postremo ad ea respondendum est, quae in his: „et industriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant", Meyero visa sunt reprehendenda. Miratur enim in alteris demum litteris merita Ciceronis commemorari, cum Plutarchus memoriae prodiderit (Brut. c. 26) in Antonio Apolloniae includendo ope-

---

[1]) Magis vero est quod miremur Planci litteras eodem die ac Lepidi recitatas et eandem in sententiam scriptas in oratione illa plane omissas esse. Quam rem Meyerus quomodo explicet nescio, quoniam eam ne attigit quidem; Schmidtius (l. c.) Planci litteras post habitam orationem demum allatas putat. Quod tamen nobis quidem minus persuasit; probabilius videtur Cicero orationem ante praeclaras illas Planci litteras alteras a. d. VII Id. Apr. allatas non edidisse et tum eam qua de illis ageret orationis partem delevisse.

[2]) Quod vero Cicero scribit futurum fuisse ut honos diis immortalibus decerneretur, si de Bruti litteris relatum esset, hoc nimirum non solum ad hunc nuntium sed ad totam rem a Bruto gestam et Antonio capto confectam pertinuit.

ram eius maxime fuisse insignem, qua de causa Ciceronem quoque in Phil. X (§ 13) filii mentionem fecisse. Qua tamen in re, quod quidem ad Plutarchum pertineat, erravit vir doctus; namque aliter haec et a Plutarcho et in Phil. X et XI tradita sunt, quae quidem nulla in re repugnant. Ille postquam Dyrrhachium a Bruto receptum esse — quo pertinet Phil. X 13 extr. — commemoravit, sic pergit (c. 26, 2): „Γάιος δ'Ἀντώνιος Ἀπολλωνίᾳ προσβαλὼν ἐκεῖ τοὺς ἐγγὺς ὄντας ἐκάλει στρατιώτας. Ἐπεὶ δ' οὗτοί τε πρὸς Βροῦτον ᾤχοντο —"; quibus necesse est et ea contineantur, quae Cicero (§ 13 media) de filio dicit: „legio, quam L. Piso ducebat legatus Antonii, Ciceroni se filio meo tradidit", et quae hoc loco scribit: „quem equitatu legionibusque magna ex parte spoliaras", denique quae allato illo Phil. X loco (§ 13 prima) dicit: „cum VII cohortibus esse Apolloniae scribit Antonium." Inclusus autem iam erat Antonius, quod Brutus et Dyrrhachium et Macedoniam omnesque quae ibi erant copias in suam redegerat potestatem. Apud Plutarchum autem illa excipiunt haec: „— καὶ τοὺς Ἀπολλωνιάτας ᾔσθετο τὰ Βρούτου φρονοῦντας, ἐκλιπὼν τὴν πόλιν εἰς Βουθρωτὸν ἐβάδιζεν" (proficisci instituit); ex quibus apparet, quae deinceps narrantur, ea non iam ad Antonium Apolloniae inclusum neque ad primas Bruti publicas litteras pertinere posse. Neque vero in Phil. X de rebus a Bruto gestis quicquam affertur, quod posterioris sit temporis, quam sunt illa quae attulimus. Deinceps autem Plutarchus haec narrat: „Καὶ πρῶτον μὲν ἀπόλλυσι τρεῖς σπείρας καθ'ὁδὸν ὑπὸ Βρούτου κατακοπείσας· ἔπειτα τοὺς περὶ τὴν Βυλλίδα τόπους προκαταληφθέντας ἐπιχειρῶν ἐκβιάζεσθαι καὶ μάχην συνάψας Κικέρωνι νικᾶται. Τούτῳ γὰρ ὁ Βροῦτος ἐχρῆτο στρατηγῷ καὶ πολλὰ δι αὐτοῦ καθώρτωσε". Iis demum quae subsequuntur Brutus traditur Antonium palustribus in locis deprehensum a copiisque derelictum in deditionem accepisse [1]). Cum his autem quae attulimus Plutarchi verbis com-

[1]) Atque in hac re narranda cum Plutarcho plane consentit Appianus (III 79), quare mirandum est Drumannum (I p. 525 extr.) Dionem Cassium, ut videtur, potissimum esse secutum, qui (XVII 21

paranda sunt, quae in Phil. XI (§ 26 med.) dicit Cicero: „C. Antonius, qui tenet Apolloniam, magnam urbem et gravem, tenet, opinor, Byllidem, tenet Amantiam, instat Epiro, urget Oricum, habet aliquot cohortes, habet equitatum.“ Haec quoque ad iter illud Antonii Buthrotum versus aperte spectant; videntur autem non solum ex primis Bruti litteris publicis sed maximam partem ex posterioribus quibusdam nuntiis vel rumoribus esse dicta. Sed, — et ea in re disceptatio nostra vertitur, — neque in Phil. X aliud quicquam de Cicerone filio dicitur nisi legionem quandam ei se tradidisse, ac ne Plutarchus quidem prius ullam eius facit mentionem quam Antonium narrat relicta Apollonia Buthrotum iter facientem nonnullisque cohortibus amissis Byllide potitum loca circumiacentia vi occupare conatum esse: tum demum eum proelio cum Cicerone commisso (quo legato usus Brutus plurima eius opera confecerit), ab hoc victum et paulo post a Bruto captum esse. Itaque Brutum de hac re a Cicerone filio gesta nisi alteris litteris publicis non scripsisse concludendum est, atque, ut merita eius primis litteris commemorare potuerit, alteris omittere ne potuit quidem.

§§ 3 et 4. Haec epistolae pars in iis tota versatur enarrandis, quae de proximis litteris et Bruti et C. Antonii Id. Apr. perlatis in senatu et eodem et postero die habito acta erant. Rem iam initio epistolae Cicero significaverat, sed mox ad suum de toto bello iudicium aperiendum transiit; neque tamen quae deinceps scripsit, etsi longius repetita sunt, non ad eandem Bruti de re publica gerenda rationem spectant, quae his in litteris apertissime patebat et quasi in cumulum accesserat. De litteris autem ipsis de senatuque illis diebus habito cum praeter hunc locum nusquam sit quicquam memoriae proditum, non licet haec cum aliis locis comparare, sed necesse est satis habeamus probare nihil

---

extr.) haec paucissima affert: »καταλαβὼν οὖν τούτους (Vatinii copias) ἐπί τὸν Ἀντώνιον ἐν τῇ Ἀπολλονίᾳ ὄντα ἐστράτευσε, καὶ προαπαντήσαντός οἱ αὐτοῦ τούς τε στρατιώτας ᾠκειώσατο, καὶ ἐκεῖνον ἐς τὸ τεῖχος προκαταφυγόντα ἀπετείχισε μὲν καὶ ἐζώγρησεν ἐκ προδοσίας, κακὸν δὲ οὐδὲν εἰργάσατο«. — Drumanno vero Meyerus nimis usus esse videtur auctore.

inesse in his, quod per se offendat vel minus videatur probabile.

Ac prima quidem de Pilo quodam sunt Bruti tabellario, qui quidem maioribus effertur laudibus quam quae in eiusmodi homines plerumque cadere videantur. Neque tamen desunt in epistolis Ciceronis (etiam exceptis commendaticiis) exempla laudum similium hominibus, qui in re publica nulli erant, tributarum; velut de Chaerippo scribit qui cum litteris a Cornificio venerat (ad fam. XII 30, 3): „o hominem, semper illum quidem mihi aptum, nunc vero etiam suavem!"; de Titio quodam Strabone, qui cum litteris ad Cassium erat profecturus (ad fam. XII 6, 1): „scire poteris ex C. Titio Strabone, viro bono et optime de re publica sentiente"; de liberto quodam suo (ad Att. IX 7, 6): „id mandavi Philotimo, homini forti ac nimium optimati", et de eodem (ad Att. X 9, 1): „adventus Philotimi — at cuius hominis, quam insulsi et quam saepe pro Pompeio mentientis! —". Tum vero hoc loco hominis virtutes consulto verbis auxisse videtur, quo magis eluceret litterarum, quas maxime illis contrarias attulerat, indignitas. Namque eo spectant, quae paulo post de Pilo scribit, neminem eius similem a Dolabella cum litteris venisse et eum oculos hominum vehementius offendisse. Itaque valde leve et nugatorium videtur, quae tandem tanta illa Pili virtus fuerit, exquirere, qua in re exquirenda non mirum est Meyerum haesisse [1]. Poterat praeterea Pilus suam de re publica sententiam prae se ferre vel res gestas Bruti iactare, denique quavis re oculos hominum in se convertere, quare etiam magis ei offensioni erat, quod non solum lenissimas in Antonium litteras attulerat, sed etiam huius ipsius exstiterat tabellarius.

Dicitur enim Pilus duas attulisse epistolas, unam Bruti nomine, alteram Antonii. Harum Antonii epistolam primam esse a Cornuto praetore [2]) recitatam; qui cum in praescriptione eius

[1]) l. c. p. 28 et 30.

[2]) Cfr ep. ad fam. X 12, 3 quae ep. paulo ante scripta est, »placuit nobis ut statim ad Cornutum praetorem urbanum litteras deferremus, qui quod consules aberant, consulare munus sustinebat more maiorum«.

proconsulis honorem sibi arrogasset, tantam inde factam esse admirationem, ut si recitatum esset DOLABELLA IMPERATOR, a quo quidem venisse tabellarios sed neminem Pili similem, qui proferre litteras auderet aut magistratibus reddere. — Quo iure quaque auctoritate C. Antonius illius honoris titulum sibi assumpserit, ex Phil. III 24–25 et XIII 19 cognoscitur, sed vix mense post provinciam ei ademptam esse ex eadem Phil. III (§ 38) apparet, ubi sententia Ciceronis perscripta exstat, in quam senatus consultum eodem die factum est. Atque id senatus consultum ad omnes pertinuisse, qui tunc, exeunte anno, provincias obtinerent, cum ep. ad fam. XII 22, 3 indicatur tum, quod ad ipsum Antonium pertineat, Phil. X 13 confirmatur. Iam vero primis Bruti litteris publicis allatis iterum in Ciceronis sententiam (Phil. X 25 sq. perscriptam) senatus decrevit, ut M. Brutus pro consule provinciam Macedoniam Illyricum cunctamque Graeciam obtineret omnique exercitui praeesset. Tum alteris eius litteris de C. Antonio capto allatis nemo iam de captivo illo vel cogitabat quidem, sed omnium oculi ad bellum quod ad Mutinam gerebatur conversi et intenti erant: cum subito a Bruti tabellario litterae in ipsum senatum afferuntur, recitantur — a proconsule C. Antonio senatui missae esse reperiuntur! Num mirum est senatum primo animi impetu obstupefactum esse admiratione? Quin etiam suo iure Cicero addere videtur non minorem fuisse admirationem senatus, quam si esset recitatum „Dolabella imperator"; nam quid ei videri potuit inter illum interesse, qui, postquam contra patriam arma cepisset, bello esset captus idemque paucis diebus post a senatu hostis indicaretur [1]), et hunc qui paulo ante hostis iudicatus esset?

Qui autem hostis iam erat iudicatus, qui tandem is litteras ad senatum mittere ausus est? Hoc ne quis huic loco obiciat, temporis spatii inter Non. Martias [2]) et Id. Apriles interiecti habeat rationem. Nam ut nuntius illo ipso die Roma mis-

[1]) Cfr ep. ad Br. I 3, 3—4.

[2]) Circ. hunc diem Dolabellam hostem iudicatum esse Schmidtius demonstravit l. c. p. 34 sqq.

sus sit, minus quatuor et viginti diebus i. e. ante Kal. April. vel Ephesum vel Smyrnam attingere vix potuit [1]) neque Dolabellam nisi uno vel altero die post convenire. Quare quoniam hic de qua agitur senatus Id. April. habitus est, Dolabella, antequam illius senatus consulti certior esset factus, has quas Cicero significat litteras dederit necesse est, eoque magis quod ante Idus iam Romam pervenisse videntur. Neque, cur minus sit probabile eum ad senatum omnino litteras misisse [2]), equidem video. Habebat enim quod quereretur in Syriam provinciam sibi a populo constitutam [3]) Cassium invasisse [4]) legionesque sibi ad Parthicum bellum datas vel ab hoc vel a Bruto retentas esse. Poterat etiam caedem Trebonii aut excusare aut saltem iactare; nam ut a Roma rebusque quae in Italia gerebantur longe aberat, vix conicere poterat tantam iis qui a Caesaris partibus steterant cum liberae rei publicae propugnatoribus in Antonio oppugnando intercessisse consensionem. Quod idem in Phil. XI 2 Cicero monuit: „sed ille cum procul esset a consulibus exercitibusque nostris neque dum senatum cum populo Romano conspirasse sensisset, fretus Antonii copiis ea scelera suscepit“ e. q. s. Quod vero litteras eius non prolatas esse Cicero scribit, vel tabellarii nimirum postquam eum hostem iudicatum esse cognoverunt, eas comprimere scierunt. Neque tamen credendum est nullos Dolabellae Romae fuisse necessarios vel familiares, quibus litteras suas pro tempore magistratibus reddendas mitteret. Nam eius tabellarios id non ausos esse facere, quod Pilus ille fecisset, nescio an Cicero eo consilio scripserit, ut haec quoque aliquid aculeorum haberent, ex quo sentiret Brutus inconsiderate et temere se fecisse, qui nullis amicis consultis tantas res tabellario mandaret [5]).

---

1) Cfr Schmidt. l. c. p. 8.

2) Cfr Meyer. l. c. pp. 28 et 30.

3) App. III 7 et Vellei. II 60.

4) Ipse Cicero in ep. ad Cassium in. m. Febr. missa (fam. XII 4, 2) de Dolabella tamquam Cassio succedente scribit.

5) Aptissime cum hoc loco comparantur loci quos attulit Meyerus de prov. consular. 15 et 25 in Pison. 39 et 44

Sed ut ad Antonium revertamur, paulo post Cicero „postridie de proconsule Antonio multa“ se dixisse scribit. Quod ad ipsum proconsulis nomen iam pridem ei abrogatum sed impudenter ab ipso usurpatum spectare cui tandem persuadetur? [1]) Neque Ciceroni, opinor, in re nota et pervulgata multum esse opus erat, et ex eo quod causae sibi fuisse indicat, quare postero die ad rem reverteretur: „cum sermo increbruisset Pilusque oculos vehementius hominum offendisset“, satis apparet de causa Antonii litteris allatis orta et de huius omnino in re publica condicione eum egisse. Qua de condicione quo Cicero fuerit iudicio mox demonstrare conabimur. Quod autem proconsulatum Antonii iactat, nihil aliud agit, nisi ut nimiam Bruti in illum indulgentiam carpat [2]). Ne Sestius quidem causae defuit, et idem postea privatim Ciceronem monuit, quanto utriusque filius in periculo futurus esset, si contra proconsulem arma tulissent. Haec quomodo interpretanda sint Schuetzius docuit [3]), cuius verba haec sunt: „— sequentibus verbis quibus narratur a Sestio illud proconsulis nomen ab Antonio usurpatum irrisum esse“; neque vero, quem ad modum interpretatur Meyerus, pro serio dictis habenda sunt aut metui cuidam Sestii ridiculo tribuenda. An Ciceronem de fustuario legionum, de scelere Caesaris et D. Bruti metuisse putandum est, cum de M. Antonio eiusdem anni consule sic diceret (Phil. III 14): „nam si ille consul, fustuarium meruerunt legiones quae consulem reliquerunt, sceleratus Caesar, Brutus nefarius qui contra consulem privato consilio exercitus comparaverunt“? Quare si quid hic ridiculum est, in metu quodam Sestii certe non est positum.

Iam vero de ipsis litteris et Bruti et Antonii quaeritur. Ac primum quidem videndum est, quo spectaverint quoque

---

[1]) Cfr Meyer. l. c. p. 27.

[2]) Eodem pertinent Ciceronis verba paulo post ad Brutum scripta haec (ep. I 3, 4): «— ad tuos sive captivos sive dediticios». Atque ad haec Brutus respexisse videtur cum (ep. I 4, 2) sic rescriberet: ««at hoc ipsum», inquies, «inique facis, qui hostilis animi in rem publicam homines cives appelles»».

[3]) l. c. p. LXIV.

consilio datae sint Bruti litterae; neque enim quicquam de ea re a Cicerone traditur, id quod optime cum iis convenit quae prima epistola scripserat. Kal. April. Brutus ad Ciceronem epistolam miserat (II 3), quae cum a. d. III Id. vesperi perlata sit, sequitur, hanc publicam epistolam Idibus mane allatam uno vel maxime duobus diebus post illam a Bruto datam esse. Itaque colligendum est rem, qua commotus brevissimo illo temporis spatio iterum tabellarium Romam mitteret, aut novam quandam et improvisam fuisse aut aliquo modo in illa pridie vel biduo ante data iam esse significatam. Cum autem illud in publicam epistolam non cadat, — nihil enim eiusmodi in hac Ciceronis epistola indicatur, — de illa quae est ad Ciceronem scripta videndum est. Quam si cum hac de qua nunc agitur comparaverimus, non dubitabimus, quin causa epistolae tam paulo post iterum Romam mittendae his Bruti verbis contineatur (§ 2): „Antonius adhuc est nobiscum; sed medius fidius et moveor hominis precibus et timeo ne illum aliquorum furor excipiat: plane aestuo". Ex his enim cognoscitur Brutum non solum lenissime cum Antonio egisse sed et precibus huius motum qui, nimirum ut dimitteretur petere non desineret, et, ne seditione facta eriperetur, veritum plane, quid sibi faciendum esset, nesciisse. Atque hoc sequentibus confirmatur his: „quod si scirem quid tibi placeret, sine sollicitudine essem, id enim optimum factu esse persuasum esset mihi: quare quam primum fac me certiorem quid tibi placeat". Primis vero eiusdem epistolae verbis scripserat litteras Ciceronis valde se iam exspectare, quas cum nullas acciperet [1]), sollicitudo vero illa angustiaeque in dies augerentur, consilium ei ipsi erat capiendum. Atque id consilium cepit, quod et cum suis de de re publica rationibus conveniret et precibus Antonii aliqua ex parte satisfaceret et animos ceterorum interim sedaret: et ipse ad senatum de Antonio litteras misit et huic, idem ut faceret, concessit.

At nondum satis perspicitur, qua ratione scriptae sint

[1]) Cfr ante p. 59.

illae litterae. Quod ut, quantum fieri poterit, consequamur, eae nobis consulendae sunt Bruti epistolae, quas proximo tempore post hanc a Cicerone datam ei scripsit. Atque prima ea est cui ep. ad Br. I 2 rescripta est; cum autem ipsa non exstet, ex hac sola, quid in ea de Antonio scripserit Brutus, iam cognoscere licet. Eo haec paucissima pertinent (§ 5): „scribis enim acrius prohibenda bella civilia esse quam in superatos iracundiam exercendam", quae, etsi nihil ad hanc quaestionem novi afferunt, hoc tamen docent Brutum accepta hac Ciceronis epistola, nihilo minus in sententia sua pristina perstitisse. Quo magis confidere possumus, quam in altera sua epistola proferat sententiam, eam ab illa non abhorrere, id quod ipse diserte dicit. Est autem haec altera (I 4) ad epistolam quandam (I 3, 4) Ciceronis rescripta, qua hic non iam ex suo iudicio sed ex senatus auctoritate idem Bruto suaserat, quod paucis ante diebus hac de qua agimus epistola ei commendaverat. Brutus igitur eiusdem rei iterum admonitus in epistola quam modo significavi sic scribit (§ 2): „quod scribis mihi trium Antoniorum unam atque eandem causam esse, quid ego sentiam mei iudicii esse, statuo nihil nisi hoc senatus aut populi Romani iudicium esse de iis civibus qui pugnantes non interierint. — Quod enim nondum senatus censuit nec populus Romanus iussit, id arroganter non praeiudico neque revoco ad arbitrium meum. Illud quidem non muto, quod ei, quem me occidere res non coëgit, neque crudeliter quicquam eripui neque dissolute quicquam remisi habuique in mea potestate, quoad bellum fuit. Multo equidem honestius iudico magisque quod concedere possit res publica miserorum fortunam non insectari —". Ex his iam tantum de Bruti litteris ad senatum datis colligere licet, ut qua ratione scriptae fuerint non fallamus. Qui enim M. Antonio fugato et hoste iudicato, nec ipso solo sed omnibus „qui eius sectam secuti essent", atque seditione a militibus facta, quos C. Antonius liberalitate eius abusus corrumpere et ad suam perducere partem studuerat, etiam tum nolebat de hoc quicquam statuere, sed senatus aut populi Romani de eo iudicium esse statuebat, num

eum putandum est ante has res gestas aliud quicquam de eodem Antonio sensisse nisi plane idem, senatui de eo decernendum esse? Quod autem Brutus addit, quod nondum senatus censuerit neque populus Romanus iusserit, id se non praeiudicare neque ad suum arbitrium revocare, nonne satis aperte indicat hoc senatus decretum aut populi iussum eum exspectasse atque etiam tum exspectare? Quod dum exspectaret sic se Antonium tractasse scribit, ut illi neque quicquam crudeliter eriperet neque dissolute remitteret. Denique aliquid tamen de sua ipsius aperit sententia, cum hoc scribit miserorum fortunam non insectari suo quidem iudicio honestum esse et quod concedere possit res publica. Si cum his Bruti verbis epistolas Ciceronis et hanc de qua agimus et illam (I 3) paulo post datam contulerimus, ex quibus perspicitur cum senatum tum Ciceronem etiam Marco fratre hoste iudicato noluisse durius quicquam de C. Antonio nisi ipso Bruto auctore decernere, quo spectaverint Bruti litterae Id. April. in senatu recitatae, dubium non erit. Ne multa: C. Antonii causam more maiorum ad senatum detulit et huic ordini commendavit.

De his igitur litteris Cicero hoc de quo agimus loco „tuae“, inquit, „recitantur, breves illae quidem sed in Antonium admodum lenes“. Quod eum clementius scripsisse quam ipse sentiret ex tota epistola apparet, velut ex his quae illa excipiunt: „vehementer admiratus senatus; mihi autem non erat explicatum quid agerem: falsas dicerem? quid si tu eas approbasses? confirmarem? non erat dignitatis tuae. Itaque ille dies silentio“. Eandem prorsus in sententiam paulo post haec addit: „Labeo vero noster nec signum tuum in epistola, nec diem appositum, nec te scripsisse ad tuos, ut soleres: hoc cogere volebat falsas litteras esse et, si quaeris, probabat“. Itaque et Cicero et ceteri, qui eandem atque ille de re publica rationem secuti erant, litteris Bruti tantopere conturbati sunt, ut quid de iis consilii caperent plane nescirent et prorsus falsas esse contenderent. Neque hoc mirabitur qui meminerit, quo omnia Ciceronis in senatu consilia contentionesque proximorum quatuor mensium maxime

spectaverint. Nempe inde ab a. d. XIII Kal. Ian. quo die habita est Phil. III, vix una exstat oratio, qua non id egerit, ut hostis iudicaretur M. Antonius quique eum secuti essent, in quibus nimirum frater uterque. Phil. V consilio ad Antonium legatos de pace mittendi acerrime repugnavit, qui cum nihilo minus missi essent nec dum rediissent, in Phil. VII „se pacem cum Antonio nolle“ ingenue professus est (§ 8); tum Phil. VIII, XII, XIII totae, etiam X et XI magna ex parte in iisdem pacis conciliandae consiliis refellendis Antoniique partibus impugnandis versantur, denique paucis diebus post hanc epistolam datam Phil. XIV habita „omnes hostes iudicati sunt, qui Antonii sectam secuti erant“ [1]). In mediis igitur his consiliis, quae Cicero haud paucis adversantibus summa contentione insectabatur, M. Brutus, princeps ille liberae rei publicae propugnator, auctor exstitit C. Antonio parcendi et consulendi. Cuius ratio si valuisset, necesse erat maxima non solum consiliorum Romae sed etiam rerum, quae in Gallia tum maxime gerebantur, facta esset perturbatio. Litteris autem pro falsis habitis et periculum illud propulsatum esset et Bruto de ratione illa relinquenda etiam tum integrum reservatum.

§ 5. Absolutis quae ad praeteritum pertinebant tempus Cicero iam ad futura conversus primum haec scribit: „nunc tuum est consilium, Brute, de toto genere belli,“ quibus diserte dicit in integro etiam tum rem esse et qua Brutus de summa re publica uti velit ratione ipsius esse iudicii. His praemissis ad suam transit rationem proferendam, id quod in prima epistola iam pollicitus erat, quae cum a Bruti ratione vehementer abhorreat, ne hanc parum videatur respexisse, sic incipit: „video te lenitate delectari et eum putare fructum esse maximum, praeclare quidem, sed aliis rebus, aliis temporibus locus esse solet debetque clementiae“ [2]).

---

[1]) Cfr ep. ad Br. I 3, 4.

[2]) Cfr ep. ad Br. I 2, 5 «vehementer a te, Brute, dissentio, nec clementiae tuae concedo, sed salutaris severitas vincit inanem speciem clementiae», quorum proxima verba attulit Amm. Marc. XXIX 5, 24.

Tum quod sic pergit: „nunc quid agitur, Brute? Templis deorum immortalium imminet hominum egentium et perditorum spes, nec quicquam aliud decernitur hoc bello, nisi utrum simus necne“, in orationibus Phil. eadem sententia plurimis locis occurrit, velut VIII 8 „quae est igitur in medio belli causa posita? nos deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia sedesque populi Romani, aras focos sepulcra maiorum, nos leges iudicia libertatem coniuges liberos patriam defendimus: contra M. Antonius id molitur, id pugnat, ut haec omnia perturbet evertat, praedam rei publicae causam belli putet, fortunas nostras partim dissipet partim dispertiat parricidis“, et paulo post (§ 9) „invitus dico sed dicendum est: hasta Caesaris, p. c., multis improbis et spem affert et audaciam. Viderunt enim ex mendicis fieri repente divites: itaque semper hastam videre cupiunt ei, qui nostris bonis imminent, quibus omnia pollicetur Antonius“; XIII 16 „unus furiosus gladiator cum taeterrimorum latronum manu contra patriam, contra deos penates, contra aras et focos, contra quatuor consules gerit bellum“; denique XIV 27 „Hirtius — cum tribus Antonii legionibus equitatuque conflixit hostesque nefarios, huic Iovis Optimi Maximi ceterisque deorum immortalium templis, urbis tectis, libertati populi Romani, nostrae vitae sanguinique imminentes prostravit —“.

Quae deinde sequuntur „cui parcimus aut quid agimus? His ergo consulimus, quibus victoribus vestigium nostrum nullum relinquetur?“ nimirum ad Bruti litteras Id. Apr. allatas respiciunt, quae quam in sententiam scriptae fuerint, etiam ex his colligere licet. Cum hac vero Ciceronis sententia conferri possunt (Phil. XIII 4) haec: „illis (Antoniis) locus si in hac urbe fuerit, ipsi urbi locus non erit“.

Iam hanc epistolae partem his absolvit: „nam quid interest inter Dolabellam et quemvis Antoniorum trium? quorum si cui parcimus, duri fuimus in Dolabella“. De Antoniis fratribus in ep. I 3, 3: „ego sic“, inquit, „sentio trium fratrum unam et eandem esse causam“; neque vero secus de iis in orationibus Phil. iudicat, velut VII 16 sic dicit: „poteritis igitur exploratam habere pacem, cum in civitate M. Antonium

videbitis vel potius Antonios? Nisi forte contemnitis Lucium: ego ne Gaium quidem"; X 5 Fufio Caleno: „quaero igitur eumne (filium) Bruti similem malis an Antonii? Ac permitto ut de tribus Antoniis eligas quem velis", et (§ 10) „erat ei (M. Antonio) spes unica in C. Antonio, qui duorum fratrum aetatibus medius interiectus vitiis cum utroque certabat". Dolabellam autem saepius cum Antonio vel Antoniis coniungit comparatque, velut Phil. XI, 1, 2, 6; XIII 5, 23, 42: et ipse M. Antonius in epistola a Cicerone in senatu recitata sic scribit (Phil. XIII 36): „vix etiam verisimile est, qui iudicaverint hostem Dolabellam ob rectissimum facinus, eosdem nobis parcere posse idem sentientibus".

Ratione sua si minus explicata, attamen, quod ad Brutum pertinebat, satis indicata Cicero, quo sententia sua plus apud hunc habeat ponderis, haec addit: „haec ut ita sentiret senatus populusque Romanus, etsi res ipsa cogebat, tamen maxima ex parte nostro consilio atque auctoritate perfectum est"[1]). Hunc in modum saepius et in orationibus Phil. et in epistolis eo tempore datis fortitudinem senatus, consensum populi, conspirationem omnium ordinum suis laboribus contentionibusque effecta praedicat, cuius generis sunt, quae Phil. XIV 13—21 pluribus explicat.

Tamen ne animum amici irritabilem offendat semper diligentissime cavens hoc quoque loco vix sua ratione proposita haec addere properat: „tu si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquam meam". Eodem consilio in ep. I 2, 3 scribit: „sed de hoc tu videris" e. q. s.; I 3, 3 „tu quid de hac re sentias, tui iudicii est" et (§ 4) „equidem nihil disserui durius, cum nominatim de C. Antonio decernerem, quod ita statueram a te cognoscere causam eius senatum oportere", plura praeterea. Eadem vero facilitate Ciceronem prioribus quoque temporibus aliorum auctoritati cessisse ipse in epistolis testis est. Eius generis locus est quem Marklandus iam attulit (ad Att. VII 6, 2): „dices: ‚quid tu igitur censurus es?' Non idem quod dictu-

[1]) Cfr ep. ad Br. I 3, 3.

rus; sentiam enim omnia facienda, ne armis decertetur, dicam idem quod Pompeius". Atque eadem ratione ad ipsum scribit Pompeium (ad Att. VIII 11, D, 6): „mea quae semper fuerit sententia — meminisse te arbitror; sed mihi non sumo, ut meum consilium valere debuerit: secutus sum tuum", etiam ad P. Lentulum (ad fam. I 9, 26): „equidem non desinam tua decreta defendere; — tibi tamen sum auctor, ut, si quibus rebus possis, eum tibi ordinem (publicanorum) aut reconcilies aut mitiges".

Denique his aliquid certi Bruto suadet: „neque dissolutum a te quicquam homines exspectant, nec crudele; huius rei moderatio facilis est, ut in ducem vehemens sis, in milites liberalis". Atque paene mense post sic scribit (I 2, 2): "te benevolentiam exercitus equitumque expertum vehementer gaudeo". De C. Antonio autem quae in his epistolis consilia a Cicerone et a Bruto communicata sunt, quam brevissime complectamur. Atque primum Brutus, ne ille furore militum exciperetur, veritus quid de eo faceret Ciceronem consuluerat (II 3, 2); cui Cicero ne plura rescriberet tempore carens suaserat, ut, quoad exitus belli cum M. Antonio gesti cognitus esset, eum custodiret (II 4, 3), quod sine dubio eo suasit consilio, ut tum et de eo et de Marco Lucioque fratribus una statueretur [1]). Interea Brutus et precibus Antonii commotus et animis militum diffisus cum Antonio, ut litteras ad senatum daret, permisit tum suis litteris causam eius ad senatum detulit eique commendavit. Quae litterae cum ei rationi maxime repugnarent, quae toto bello Ciceroni proposita erat ceterisque, qui in senatu M. Antonio adversabantur, nullum his aliud occurrit consilium, nisi ut litteras falsas esse contenderent. Itaque Cicero veritus ne inter principes libertatis recuperandae perniciosissima existeret dissensio, maximam dedit operam, ut Brutum ab illa lenitatis ratione avocaret et C. Antonii causam non seiungen-

---

1) Nihil amplius in verbis Ciceronis inest; nam qui in custodia habebatur, pro tempore non potius dimitti quam occidi poterat. Quod in Tunstallum Marklandum Meyerum monendum est (l. c. p. 29).

dam esse a fratrum causa ei persuaderet, id quod tota hac epistola egit. Tum vero, cum nuntio allato de victoria apud Forum Gallorum parta M. Antonius ceterique eius sectam secuti hostes essent iudicati, Cicero senatum populumque Romanum sic sentire scribit nullos umquam hostes digniores omni supplicio fuisse quam eos cives qui illo bello contra patriam arma cepissent, quod senatus consultum plerosque interpretari etiam ad C. Antonium pertinere, se tamen de illo nihil durius decrevisse, quod a Bruto causam eius cognoscendam esse statuisset (I 3, 3—4)[1]. Contra Brutus sibi constans rescripsit se captivo suo neque quicquam eripuisse neque remisisse et quoad bellum fuisset in sua potestate eum habuisse atque etiam tum senatus decretum de eo populique iussum exspectare (I 2, 5; 4, 1—2)[2]. Haec omnia tantum abest ut iis repugnent quae de C. Antonio rerum scriptores memoriae prodiderunt, ut quae hi paucis perstrinxerunt his epistolis aptissime expleri explicarique posse videantur. Cfr Plut. Brut. c. 26; Appian. III 79; Dion. Cass. XLVII 21, 23 24 pr.[3]).

§ 6. In extrema hac epistola Cicero iterum filium Bruto diligenter commendat, quod in proxima epistola fecerat. Hac commendatione tota epistola amicissime et placidissime ad finem perducitur[4]).

---

1) Cfr ante p. 75.

2) Hoc Manutius et Meyerus parum attendisse videntur.

3) Quare Drumannus Tunstallo auctore usus haec temere videtur iudicasse: «welche Verstösse gegen die Geschichte sich auch in Beziehung auf C. Antonius in den untergeschobenen Briefen ad Brutum finden, hat Tunstall nachgewiesen (Gesch. Roms. I p. 526 adn. 17).

4) Iam si nobis contigerit, ut sententiarum nexum huius epistolae iuste explicaremus, non dubitamus, quin aliis quoque, — quod nobis quidem persuasum est —, parum eum perspexisse videatur Schuetzius, qui de hac epistola sic iudicet (prol. p. LXIV): «etsi haec septima secundi epp. ad Brutum libri epistola non istis argumentis quibus Tunstallus usus est νοθείας convinci potest, tota tamen eius compositio prorsus a Ciceronis elegantia abhorret, ut eam ceteris falso sub Ciceronis nomine venditis annumerare nulli dubitemus». — Cfr quae de hac epistola Hermannus disputavit (Zur Rechtf. II p. 21 sqq.).

Restat ut de sermone huius quoque epistolae nonnulla disputemus.

§ 1. Quae litterae tuo nomine recitatae sint Id. April. in senatu: iisdem verbis ad Plancum scribit fam. X 6, 1 „quae autem recitatae litterae sunt in senatu". — tuo nomine: plerumque usitatum fuisse alterius nomine litteras mittere multi epistolarum loci docent velut Att. I 16, 16; III 15, 8. — eodemque tempore Antonii: cfr Hofmann-Andresen Ausgew. Br. II p. 154 sq. — quorum ego nemini concedo: usitatum Ciceronis dicendi genus; ad exx. a Meyero (p. 174) congesta adde: Att. XIII 21, 7; fam. V 21, 1. — sed nihil necesse erat eadem omnes: illud necesse me ad te scribere: cfr. Hofm.-Andr. II p. 145 sq.; exempla addi possunt ex epistolis plura velut Att. VII 2, 8; IX 1, 1; XIV 14, 1; 17, 3; fam. X 1, 2. — de constitutione huius belli: late patet in epistolis Ciceronis usus substantivorum, quae in -io abeant, quorum alia apud eum nisi in epistolis non inveniuntur, alia aliam atque in ceteris libris habent significationem; cuius generis ad ea quae Stinnerus congessit[1]) haec addi possunt exempla: „commoratio" (fam. VI 19, 1; Q. fr. III 1, 23); „compositio" (gladiatorum) (fam. II 8, 1); „conclusio" (muneris ac negotii) (Q. fr. I 1, 46); „dissolutio" (animi) (fam. V 2, 9); „hortatio" (Att. XIV 17 A, 7 = fam. IX 14, 7; cfr tamen Phil. IX 6); (libri) „inscriptio" (Att. XVI 11, 4); „mansio" et „profectio" (Att. XVI 1, 3); „propugnatio" (fam. I 9, 2; cfr Sest. 3); „relictio" (Att. XVI 7, 5; cfr Verr. I 35); „retentio" (Att. XIII 25, 1). Itaque ne de „constitutionis" quidem verbo dubitandum esset, quin recte se haberet, etiamsi Meyerus locum non attulisset, qui hanc scripturam tueretur[2]). — quaque sententia: post ea quae modo scripserat „quid sentirem" haec male repetita videntur; itaque uncis inclusi. — voluntas — ratio: ut haec verba hic sibi opponuntur,

---

[1]) De eo quo Cicero in epistolis usus est sermone, Oppeln 1879, p. 7 sq.

[2]) l. c. p. 114.

ita „voluntas“ et „consilium“ Att. XI 6. 2. — Scis mihi semper placuisse e. q. s.: cfr exx. apud Meyerum p. 174 et quae ante attulimus. — lenius: fam. V 2, 9 „mihi lenissime sentire visi sunt“; Phil. V 34 „si autem lenius agetis“; Phil. VIII 1 „tua voluntas in discessione fuit ad lenitatem propensior“. — immortali omnino cum tua laude: cfr Att. XV 1, 5 et § 2 huius epistolae. — quid melius fuerit: Att. VIII 3, 6; XVI 14, 2; denique VII 3, 2 „sed ‚quid si hoc melius?‘ saepe opportune dici videtur“. — tu omnia ad pacem — ego omnia ad libertatem: elliptici huius dicendi generis exempla, quorum plenae sunt epistolae Tullianae, et multa et varia collegerunt Hofmannus Ausgew. Br. I p. 248, Hofm.-Andresen Ausg. Br. II p. 217, Stinnerus l. c. p. 70 sqq.; ad hunc vero locum, ubi „referendi“ verbum audiendum est, proxime accedunt Att. IV 17, 3 „res ad senatum“ et V 4, 2 „ne quid ad senatum“, in quibus idem verbum omittitur. Huc illud quoque „tu lenius“ (sc. egisti vel sensisti) pertinet, cfr Hofm.-Andr. II p. 26; nam et id quod in prima epistola exstat „nihil necesse erat eadem omnes“ (sc. scribere), et quae paulo post (§§ 3 et 4) occurrunt tantopere usitata sunt ellipsis genera, ut vix opus sit similia afferre (cfr ibidem). — repressimus impetum: cfr Hofm.-Andr. II p. 134. — ardoremque restinximus: Att. XV 11, 2; Phil. XIII 1.

§ 2. Itaque res in eum locum venerat: cfr Meyer. p. 174 et praeterea Att. II 24, 2. — nisi Caesari Octaviano deus quidam illam mentem dedisset: Phil. V 43 „quis tum nobis, quis populo Romano obtulit hunc divinum adulescentem deus“; quod vero hoc de quo agimus loco obscurum esse Meyerus dicit, qualis fuerit mens Octaviani, et res, perlecta praesertim oratione Phil. V, Bruto satis cognita erat, neque de mente a deo data ambigere licuit. — hoc tempore ipso: fam. V 2, 10 „hoc ipso tempore“. — quocum — quod sit quantumque certamen: Phil. IV 11 „non est vobis, Quirites, cum eo hoste certamen, cum quo aliqua pacis condicio esse possit; Q. fr. III 4, 2. — sed haec omitto: Att. III 25 „sed — hoc omitto“; VIII 3, 3 „omitto illa vetera“; XIV 14, 3 „sed praeterita omittamus“;

XV 11, 2. — res enim a te gesta memorabilis et paene caelestis: Att. XIV 4, 2; 6, 2; 11, 1; 12, 2; 14, 3; fam. XI 5, 1; 7, 2; Phil. II 114. — repellit omnes reprehensiones: haec tamquam ex versu Graeco, quem Cicero in ep. ad Att. XIV 22, 2 affert „ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθοῦνται ψόγον"[1]), latine conversa esse videntur; Phil. XII 10; Att. XI 7, 3; fam. II 16, 1. — quippe quae ne laude quidem satis idonea affici possit: cfr praeter locos a Meyero allatos (p. 175) Att. XIV 14, 1; Phil. X 7; Phil. XI 35; denique quod ad „afficiendi" verbum pertinet fam. XII 25, 2 „te — honoribus amplissimis affectum". — exstitisti nuper vultu severo: ad primas haec Bruti litteras publicas spectant, et Cicero ad Cornificium scribit (fam. XII 30, 3): „vultus mehercule tuos mihi (Chaerippus) expressit omnes, non solum animum ac verba pertulit"; cfr Att. IX 5, 1. Atque severum Bruti vultum inter amicos insignem fuisse ex ep. ad Att. XIV 20, 5 apparet, ubi haec sunt: „Epicuri mentionem facis et audes dicere μὴ πολιτεύεσθαι: non te Bruti nostri vulticulus ab ista oratione deterret?" Eodem pertinent haec (Att. XV 12, 1): „noster vero, καὶ μάλα σεμνῶς, in Asiam" (sc. se iturum dixit); etiam quae Cicero in ep. XVI 7, 5 ad Atticum rescribit, cum illis maxime consentiunt; nam perinde Brutus hoc de quo agitur tempore diu siluerat, dum necopinato de praeclaris rebus gestis publicas litteras Romam misit. — di immortales! qui ille nuntius, quae illae litterae, quae laetitia senatus, quae alacritas civitatis erat: etiam de privatis litteris Cicero (ad Att. VIII 4, 1) scribit: „ad quem ego quas litteras, dei immortales! miseram, quantum honoris significantes, quantum amoris!" Similia saepius inveniuntur, velut in epp. ad Plancum X 12, 1 et 4; 14, 1; 16, 1; 19, 1;

---

[1]) Hunc locum Bootius Hermanno usus auctore vix recte interpretatus est; nam haec illis verbis sententia subesse videtur: magnum quidem mendum Idus Martiae continent (sc. quod Antonius superstes est), nisi tamen res gesta iuvenum illorum omnino praeclara hanc quoque reprehensionem repellit. Quare scriptura librorum manu scriptorum quae est «etsi» retinenda est.

ex qua similitudine si quis hoc collegerit Ciceronem in Bruti epistola rem verbis augeri non oportuisse, quod in Planci litteris consilio fecerit, tenendum est Brutum re vera res gessisse minime exspectatas, Plancum vero omnibus suis litteris nihil nisi bonum animum consiliaque praeclara prae se tulisse. Praeterea non est negandum Ciceronem etiam in hac epistola consulto nonnulla et leniora et ornatiora fecisse. — erat exspectatio reliquiarum Antonii: Hofmannus (l. c. I p. 70) genetivi usum „exspectationis" et „spei" verbo appositi explicavit exemplisque illustravit, neque dubium est, quin hic locus eius generis sit, de quo quarto loco agit. Nam nimirum Romae exspectabatur fore ut Brutus reliquiis Antonii confectis totam illam regionem obtineret. — equitatu legionibusque — spoliaras: Phil. X 4 „alterum tua sententia spolias eis copiis, quas ipse — perfecit". — ea quoque habuit exitum optabilem: Att. XI 24, 1 „ea enim est a nobis contracta culpa, ut — eundem exitum habitura videatur"; XI 16, 2; fam. II 10, 4; 16, 6 „haec omnia meliores habebunt exitus"; VI 3, 2; de „optabilis" verbo cfr fam. V 12, 4; X 4, 3. — nisi in tempus turbulentissimum — incidissent: fam. III 9, 4 „in ipsum discessum senatus incidisse credo meas litteras"; II 3, 1 „in eum statum temporum tuum reditum incidere". — honos quoque iustus et debitus dis immortalibus decretus esset: Phil. V 38 „atque etiam M. Lepido — decernendos honores quam amplissimos censeo"; Phil. XIII 8 „itaque et honores ei decrevi quos potui amplissimos, in quibus mihi vos estis assensi" [1]).

§ 3 et 4. Ecce tibi e. q. s.: usitatum in epistolis dicendi genus, velut Att. VII 19; II 15, 3; VII 24; VIII 3, 7. — Omnino haec senatus habiti commemoratio, quae hac proximaque §:o continetur, eundem plane in modum conformata est ac pleraeque eius generis commemorationes, in quibus

---

[1]) His exemplis praeclare confirmantur quae Hermannus (Vind. Lat. p. 12 sq.) et Cobetus (l. c. p. 297) eorum ignari contra Marklandum disputarunt. — Cfr Meyer. l. c. p. 175 sq.

Cicero vel maxime elliptico illi dicendi generi indulget. Exempla eius hic quoque nonnulla sunt: magna admiratio — vehementer admiratus senatus, — itaque ille dies silentio — natum omnino principium a me — de proconsule Antonio multa — post mecum — Labeo vero noster nec signum tuum in epistola, nec diem appositum, nec te scripsisse ad tuos. Quare si totum hunc locum cum epp. ad Att. IV 3, 2—4; 15, 4—6; 17, 2—3; ad Q. fr. II 3, 2, aliis comparaverimus, facile nobis persuadebitur hunc locum haud minus esse Tullianum quam illos. — mihi autem non erat explicatum, quid agerem: fam. VII 3, 1 „quo tempore vidisti profecto me quoque ita conturbatum, ut non explicarem, quid esset optimum factu" [1]. — silentio: Q. fr. II 3, 2 „dixit omnia atque interdum etiam silentio". — oculos vehementius hominum offendisset: Verr. V 143 „ut quisque istius animum oculosque offenderat, in lautumias statim coniciebatur"; leg. agr. II 56 „quorum oculos (L. Sulla) offendebat". — natum omnino est principium a me: Phil. II 50 „ab huius — scelere omnium malorum principium natum reperietis". — causae non defuit: eorundem verborum paucis interiectis repetitorum complura exstant exempla, velut Att. I 16, 4; X 6, 2; fam. XV 10, 1.

§ 5. Nunc tuum est consilium de toto genere belli: Att. VIII 11 B, 3 „nunc quod tuum consilium aut quae ratio belli sit, ignoro"; X 8, 4 „deinde hoc vide, non esse iudicium de tota contentione — nisi forte — arma Pompeium abiecturum putas, cuius omne consilium Themistocleum est". — sed aliis rebus aliis temporibus cet: Att. XV 3, 1 „nec causa eadem est, nec simile tempus". —

---

[1]) Quare non est quod de hoc «explicandi» verbi usu dubitet Meyerus (l. c. p. 115); neque enim eandem habet vim ac verbum «explorandi», cum, ni fallor, alterum cogitando alterum cognoscendo assequamur, quod etiam in eum quem attulit ipse locum, fam. VI 1, 2 cadere videtur. Cfr Phil. XI 23 «duas tamen res, magnas praesertim, non modo agere uno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest».

imminet hominum egentium et perditorum spes: cfr exx. a Meyero (p. 115) collata. — res ipsa cogebat: cfr fam. I 8, 2 et XV 11, 1. — neque dissolutum a te quicquam e. q. s.: Att. I 19, 8 „nihil iam denique a me asperum in quemquam fit, nec tamen quicquam populare ac dissolutum; sed ita temperata tota ratio est, ut rei publicae constantiam praestem, privatis rebus meis — adhibeam quandam cautionem et diligentiam".

§ 6. Virtutis disciplinam e. q. s.: cum his Marklandus iam comparavit fam. I 7, 11; cfr etiam Phil. X 4—5. — contemplationem: cfr quae ante (§ 1) de „constitutionis" verbo disputavimus.

